



1725

1. Goelicke, Andr. Ottomarus : De usu et abusu plebs.
Annus in variis.

2. Trier, Johannes Wolfgangus : De conflictu jurium

1726

3. Wittmarus, Justus Christianus : De iudicioribus
Ordinum equestrium ecclesiasticorum

2:3. Hoffmannus, Christ. Gottfriedus : An nominatio socii criminis
sub torture fieri debeat? 2 Praest. 1726 & 1756

4. Trier, Johannes Wolfgangus : De proportione servata in
l. Mosarica de incestu.

1727.

1. Goelicke, Anders Ottomarus : De cardinalgia synoptica.

1² Goelicke, Anders Ottomarus : Epilepticas convulsionales singulas in epileptico
exponat.

2. Heineccius, Jo. Gottl. : De P. Trusentis Celso.

3. Heineccius, Jo. Gottl. : De jurisconsultis semi-doctis
causisque, eorum tam pauci hodie ad veram jurispru-
dentiae laudem perveniant?

1727

- 4^a Hoffmannus, Christ. Godfridus: De iure separandi
allo diuini a feudo. 3 Exempl. 1727, 1740 & 1743.
- 5^a Hoffmannus, Christianus Godfridus: De donationibus
propter nuptias.
6. Hoffmannus, Christ. Godfridus: De iudice iuris Naturalis
voluntariae ex principis juris Romani et usae
Germanicae
- 7^a Hoffmannus, Christianus Godfridus: De dissen-
jurium in poenitentia adulterii crimine. 2 Exempl.
1727 & 1740.
8. Ring, Godfrid Weighard: De acquisitione obligationis
ex promissione alterius nomine nostro a tertio
acceptata iuri nat. contraria.
9. Tricer, Iohannes Woffgenes: De consuetudinibus
sine consensu imperantis ualentibus.

DISSERTATIO MEDICAE

USU ET ABUSU

PULVERIS

IN VARIIS

IN MEDIA

GRATISSIMO COLLEGIO MEDICAE

RECTORIA MAGNIFICI
DN. ANDR. OTTOMARI

GOELICKE

MED. D. EPIDEMIOLOGI FACULTATIS PROF. PUBL.

ORD. S. P. DICANI

RECEPTARIUS & PHARMACEUTICUS REGNI OESER.

PHARMACEUTICUS REGNI OESER.

PHARMACEUTICUS REGNI OESER.

GODOFRIDUS BEHR

Receptorarius & Pharmaceuticus

PHARMACEUTICUS REGNI OESER.

Handwritten notes in the left margin, including "77", "10", "11", "12", "13", "14", "15", "16", "17", "18", "19", "20", "21", "22", "23", "24", "25", "26", "27", "28", "29", "30", "31", "32", "33", "34", "35", "36", "37", "38", "39", "40", "41", "42", "43", "44", "45", "46", "47", "48", "49", "50", "51", "52", "53", "54", "55", "56", "57", "58", "59", "60", "61", "62", "63", "64", "65", "66", "67", "68", "69", "70", "71", "72", "73", "74", "75", "76", "77", "78", "79", "80", "81", "82", "83", "84", "85", "86", "87", "88", "89", "90", "91", "92", "93", "94", "95", "96", "97", "98", "99", "100".



1727

1. Hoffmann, Christ. Christoph. De pueris separandi
aetate & pueris. Frankfurt, 1727, 1728 & 1729

2. Hoffmann, Christian. De pueris & adolescentibus
propter septem.

3. Hoffmann, Christ. Christoph. De modo puerorum
scholasticis et pueris per Anam et usum
Hannover.

4. Hoffmann, Christian. Christoph. De ratione
pueri et pueris scholasticis. Frankfurt
1727 & 1728

5. Hoffmann, Christian. Christoph. De ratione
puerorum scholasticis et pueris
scholasticis propter septem.

6. Hoffmann, Christian. Christoph. De ratione
puerorum scholasticis et pueris
scholasticis propter septem.



1727, 46

~~12~~ 12

76

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

**JURE SEPARANDI
ALLODIUM A FEUDO**

QUAM

EX DECRETO ET AUTORITATE INCLYTI
CTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRANCOFURTANA

PRÆSIDE

77

**DN. CHRIST. GODOFREDO
HOFFMANNO**

REGIÆ BOR. MAJ. CONSILIARIO INTIMO
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO
ET H. T. DECANO

DIE XXV. JULII MDCCXXVII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PRO DIGNITATE DOCTORALI
ET SUMMIS IN UTROQUE JURE PRIVILEGIIS
OBTINENDIS

VENTILANDAM PROPONET

JOANNES GODOFREDUS LANGE
LIPS.

VITEMBERGÆ RECUSA MDCCXL.

8

79



DISSERTATIO JURIDICA IN VIGINTI
DE
JURE SEPARANDI
ALLODIUM A FEUDO
QUAM
EX DECREE ET ANTIQVITATE IMCETI
RECTORAM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADÉMIA FRANCOFVRTANA
PRAESIDE
DNI. CHRIST. GODOFRIDO
HOTTMANNO
REGIOE ROT. MAJ. CONSULARIO INTIMO
FACULTATIS JURIDICAE ORDINARIO
ET P. DR. MAG.
DNI. XII. JULII. MDCCXXVII.
PRO DIGNITATE DOCTORALIS
ET SUMMIS IN UTROQUE JURE PRIVILEGIIS
GIANNE GODEFRIDUS
VIT. IMPERATORIS REGIAE MDCCXXVII.





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
JURE SEPARANDI ALLODIUM
A FEUDO.

GENERALIA DE JURE SEPARATIONIS.

§. I.



eparatorum separata debet esse ratio: Est ea non solum artis ratiocinandi regula, verum etiam Jureconsulti hac justitiæ & æquitatis norma opus habent. Si negotia humana, si jura & origine & conditione sua diversa non rite a se distinguantur, confusio oritur, rixarum mater, læsionum fons & origo, turbantur jura, & id, quod summum in justitia est, ut cuique suum tribuatur, negligitur. Frequens igitur apud Jureconsultos SEPARATIONIS mentio injicitur, qua voce generaliter accepta, actum intelligimus, quo ea, que conjuncta sunt vel aliquodammodo confusa secernuntur. Nam omnis separatio ita est

A 2

est

est comparata, ut eam conjunctio quædam sive commixtio & communio præcedat. Ita fructus a fundo separari legitimus *l. 13. ff. quibus modis ususfr. vel usus amitt.* patrimonialia *l. 9. ff. de excusat. bona l. 2. C. de legit. hered.* possessionem a proprietate *l. 1. C. uti poss.* Translatus quoque vocis usus ad personarum jus: emancipati a familia patris separari dicuntur *l. 9. C. de adoption.* & nota in Germaniæ foris est *Separatio liberorum ab æconomia patris*, per quam potestatem patriam egredi solent liberi CARPZOV. *P. 2. const. 18. def. 1.* Separantur porro conjugia sublato matrimonii nexu *l. 11. ff. de divorc. & repud. l. 1. C. eod. c. 2. & 3. X. de divorc.* Verbo: *Quoties persone in communione quadam viventes eam deserunt, res confuse atque commixte ad suas classes rediguntur, negotia & facta diversa natura disjunguntur, toties eum a Etum SEPARATIONEM appellamus.*

§. II.

CONFUSIO sive COMMUNIO, quæ principium separationis est, diversa ratione fieri solet. Vel enim est PHYSICA, quando res alia alii rei commiscetur: Vel est MORALIS, quoties in eandem personam diversa jura deveniunt. Hæc vero iterum vel *propria* est, quando jurium translatio atque consolidatio fit: vel *impropria*, quoties leges aliquam & quidem arctissimam conjunctionem præter necessitatem fingunt, qualem in primis fictionem in heredum persona observamus. Jure enim romano una eademque censetur persona heredis & defuncti *Nov. 48. pr.* unumque eorum patrimonium *l. 10. §. 2. de vulg. & pupill. subst.* creditores heredis in bona defuncti concurrunt *l. 1. §. 1. ff. de separat.* Hæc quidem subtilitati juris romani debentur; quæ cum aliquando in iniquitatem degenerarent, a Prætoribus REMEDIUM

IN-

INDEMNITATIS sive SEPARATIONIS introductum fuit, quod creditoribus hereditariis contra heredem ejusque creditores dabatur ad hoc, ut bona defuncti a proprio heredis patrimonio separantur, ut illis exinde primo omnium satisfiat l. 2. C. de bon. aut jud. poss. l. 1. §. 1. de separationibus. BRUNNEMANN de Processu concursus Creditorum Cap. V. §. XII.

§. III.

Eadem separationum est conditio: Fit enim aliquando separatio actu physico, si res physice confusæ vel mixtæ separantur; aliquando moraliter sive juridice separatio procedit, quando rerum juncturarum sive commixtarum diversa jura & privilegia considerantur: & hæc rursus in propriam & impropiam dividi potest, quæ posterior in solo juris intellectu acquiescit, quando res, quæ ex sententia legum profusis atque commixtis habentur, ex juris ratione feceruntur, de quo exemplum in superius allegato beneficio separationis deprehendimus.

§. IV.

Fundamentum separationis est diversa natura atque conditio objecti separandi. Ex ea enim partim habitas separationis, partim jus & facultas separandi oritur. Si res nullam separationem physicam admittat, vel divisioni vel æstimationi locus est l. 7. §. 8. ff. de acquir. rer. dom. Finis separationis est, ut suum quisque consequatur, ut de separatorum diversitate judicium ferri possit, cum separatorum sit natura diversitatem inducere.

§. V.

Hæc præmonenda fuerunt. Placuit enim Dissertationis

onis inauguralis argumentum a vexata illa in foro quaestione petere, *qua ratione separatio allodii a feudo fieri debeat.* Diversa utriusque natura atque conditio patet: a scopo nostro alienum est differentias bonorum feudalium & allodialium impraesentiarum excutere: pertinent illa ad prima juris feudalis principia: hæc perspecta satis credimus, eamque doctrinam Doctoribus systematibus ac compendiis vix numerandis abundanter traditam, quilibet facili opera evolvere poterit. Nos sola propositæ quaestionis decisio occupabit, neque in materia, quæ uberrimam differendi copiam præbet, de allotriis solliciti erimus. Hæc ad excusandum in rebus tritis atque vulgaribus brevitatis studium sufficient. Ita enim supervacaneum credimus, *feudi atque allodii* notiones tradere, aliunde satis notas: continebimus nos omni modo intra illustris quaestionis terminos, cujus usum in jure privato æque ac publico insignem esse omnes rerum harum periti fatebuntur.

§. VI.

JUS SEPARANDI allodium a feudo est facultas ex jure & lege competens, qua bonorum feudalium & allodialium diversa ratio instituitur, ita ut illorum confusio, quæ ex persona possidentis oritur, prorsus tollatur, & utroque conditio separatim consideretur. Exigunt aliquando jura illam separationem. Poterit tamen omnis doctrina ad tres casus reduci. Nempe obtinet illa separatio I. in *Obligatiombus*, II. in *Successionibus*, III. in *Delictis*. De singulis sigillatim videndum.

CAPUT



CAPUT I.

DE

JURE SEPARANDI ALLODIUM A FEUDO IN OBLIGATIONIBUS.

§. I.

Non ultima inter res feudales & allodiales est differentia, quod circa posteriores Domini atque Possessoris liberior disponendi sit facultas. Vasalli dominium in feudo non est plenum, quod nudo jure omnem utilitatem ex feudo capiendi absolvitur II. F. 8. 23. nihil proinde in Domini directi agnatorumve præjudicium valide agit, nullasque obligationes legitimas contrahit, quæ in onus feudi aliqua ratione degenerare possint II. F. 8. §. I. Feudum enim beneficii titulo tenet; hinc concessionis legem observare tenetur. Hac certa & in vulgus nota sunt: prona inde conclusio: *In obligationibus, quas Vasallus contrahit, allodium a feudo esse separandum, ex hoc id, quod vi contractus debet, præstandum esse, feudum vero salvum atque intactum esse relinquendum.*

§. II.

Huic fundamento communis Doctorum innititur opinio; *debita Vasalli ex feudo regulariter non esse solvenda.* Æs alienum Vasalli est onus heredum, quod nec dominus nec successor debent. B. Dn. COCCEJI *Hypomnemata juris feud. Tit. 12. §. 5. p. 157.* Jus feudale de Vasalli debitis minime sollicitum est. Et optime monet SCHILT. *Institutionum juris feudalis Cap. VII. §. 1. textus juris feudalis ignorare divisionem inter debita feudalia et allodialia, rationem esse, quod æs alienum*

num afficiat hereditatem, non feudum. Parum ab hac doctrina abludit *Jus Saxonicum commune*, quod appellationem hereditatis a feudo distinguit *JUS PROV. Lib. 1. art. 5.* verbis: mit welchem Gut der Mann erstirbet, das heisset alles Erbe, es sey denn Lehen. Ex eodem principio profluit, quod in feudo nulla tacita competat hypotheca *STRUV. Synagma juris feud. Cap. XIII. §. 7. n. 6. & Cap. XIV. §. 27.* uti novissime constituit *ORD. PROCESS. SAXON. NOV. Tit. XLV. §. 6.* verbis: und wie in denen Lehn-Gütern, ohnedem vorhin schon keine hypotheca tacita, auffer was wegen derer Vormünder in unserer Proces-Ordnung zu Ende dieses Tituls in gewisser Maße versehen, so wir aber hiermit gleichfals aufgehoben haben wollen, statt gehabt. *u. conf. CONSTIT. SAXON. P. II. 25.* Et idem statuit *GEORGIUS WILHELMUS, Marchio Culmbacensis* in denen confirmirten Lehen-Gewohnheiten de anno 1725. *Tit. 4.* verbis: also ist hingegen keine tacita hypotheca bey denen Lehen Herkommen v. Dn. LUNIG. *Corpus juris feudalis germanici Tom. II. p. 1230.* *conf. ORD. PROC. MAGDEB. Cap. 49. §. 69.* & edictum Regium d. 30. Mart. a. 1709. betreffend Hypothecam in bonis feudalibus derer Beamte Einnehmer &c. *CORP. CONSTIT. MAGDEB. P. II. p. 294. 296.* Ex eodem argumento generalis hypotheca ad feuda non patitur extensionem *MEV. P. 4. dec. 321.* *conf. DECLAR. RECESSVS PROV. MARCHICI de a. 1653.* verbis: Sintemahl in generali obligatione entweder die bona feudalia gar nicht begriffen, oder in subsidium demum hasten thun.

§. III.

Diversa est *fructuum feudalium* ratio, per quos omnem intelligentius utilitatem, quæ ex re feudali percipitur, debetur

tur & acquiritur; differunt a feudi substantia & diverso cen-
 sentur jure; rebus allodialibus plerumque annumerantur v.
 SCHWEDER. *de fructibus feudi* §. 7. *seq.* HORN. *Jurispr.*
feud. Quæ varia illarum sit ratio, sequenti capite videbi-
 mus; quo discrimen rerum allodialium & feudaliū accu-
 rarius erit examinandum. Ex ea fructuum allodialium qua-
 litate dependet, quod Vasallus libere cum iis agere, quo ad
 illos se valide obligare, in extraneos transferre, in dorem, in
 solutum dare, oppignorare, vendere possit GALLVS *de Fruct.*
Diff. 27. *in fin.* 3. Porro, quod controversia de illis mota co-
 ram iudice allodiali dirimi debeat STRVV. *Synt. jur. feud.*
cap. XVI. cap. 7. quod fructus feudales sub generali hypotheca
 sive expressa sive tacita contineantur CARPZOV. *in Jurispr.*
for. P. 2. c. 25. Def. 3. quod ob debita Vasalli in illos immis-
 sio fieri possit STRVV. *l. cit. c. 14. §. 31. & 32.* etiam a iudice
 allodiali, licet Dominus feudi non sit HARTM. PISTOR. *l.*
qu. 15. CARPZOV. *de Onere Vasall. feud. dec. ult. polit. 1. n. 28.*
 Ita executionem in fructus feudi propter debita Vasalli ap-
 probat & ad illos restringit O. P. S. *Novissima ad Tit. XL.* ver-
 bo: Es soll hinsichtlich auch von unserer Landes-Regierung, derer
 Allodial-Schulden halber denen Glaubigern, ohne unser Vor-
 bewußt, weiter nicht als allein in die Fructus Feudi verholffen
 werden, gestalt wir dasjenige, was disfalls in unser Proceß-
 Ordnung *hoc Tit. §.* darum wollen wir ic. enthalten, hiemit
 wohlbedächting aufheben. conf. BRVNEMANN. *in Proc. Con-*
curs. Cap. V. §. 22. p. 88.

§. IV.

Interim huic feudorum immunitati & ab omni aliena
 obligatione exemptioni sensim derogarunt feudorum confue-
 tudines.

B

tudines.

tudines. Ex quo enim prima feudorum conditio mutata & illorum ad posteros transmissio permessa fuit SCHILTER. *Comment. ad jus feudale cap. XLIII. p. 265.* imo postea in jus perpetuum abiit, contraxerunt feuda aliquem ex jure hereditario habitum & factum est, ut certo respectu parum cum allodiis conditione obligari potuerint. A quo tamen prima feudorum natura abhorruit. Duplici autem modo feudo obligantur. *Primo* si illi, quorum interest consentiant: consentire autem debent dominus feudi, agnati, simultaneae investiti & omnes, ad quos feudum devenire potest. *II. F. 8. §. e contrario.* Ita contractam obligationem subsistere, ipsa ratio suadet: cessat enim impedimentum, quod contractibus vassalli hactenus oppositum fuit: nemo de laico suo jure, qui ipse consentiendo renunciavit, conqueri potest. Ab illo vero consensu omnis obligationis vis, robur atque constantia dependet, sine quo feudum obnoxium dici non potest. Cum vero consensus ille diversos modos admittat, omnis de illo quaestio ex istius tenore dijudicanda atque semper videndum erit, quid fuerit actum. Hinc non opus habemus, ut in re, quae in arbitrio paciscentium acquiescit, multas esingamus regulas, quae ex lubitu contractantium semper mutari possunt. Id solummodo observamus, quod ex juris feudalis communis & communis juris Saxonici observantia successores ad praestandas obligationes consensu eorum, quorum interest, contractas, non nisi in subsidium obligentur, si bona hereditaria non sufficiant: a qua sententia recessit Jus SAXON. ELECTORALE apud CARPZOV. *P. II. C. 64. D. 7. & 8.* Daß solche Schulden durch die Lehnsfolger aus dem Lehn-Gute vergnügt und die Land-Erben damit solten verschonet werden. Illud etiam singulare est:

est: principiis autem hactenus allatis optime responderet, quod consensus, de quo loquimur, stricti sit juris nec ad non expressa extendatur HEIG. *Lib. I. qu. 27.* ideoque hypotheca rei feudalis cum consensu domini constituta, in seio Domino, cedi non possit: quod in Saxonia certum esse patet ex constitutione, ad quam CARPZOV. *L. 5. R. 96.* provocat. Dissentit MEVIVS *P. 7. D. 311. & P. 8. D. 284.* quoad jus commune, victus ea ratione, quod pignus pignori dari possit. Ex adductis tandem patet, consensum Domini & agnatorum ad Vasalli obligationem accedentem separationem feudi ab allodio impedire & efficere, ut feudum æque ac allodium illo nexu afficiatur.

§. V.

Secundo jura feudalia quasdam a Vasallis contractas obligationes sensim feuda derivari permiserunt. Æquum enim esse videbatur, ut si Vasallus in utilitatem feudi aliquid convertisset aut eum in finem ari alieno se obnoxium dedisset, a successoribus feudalibus ejus heredes praestarentur indemnes. Porro quo propius feuda ad hæreditatum & successionum mores accedebant, eo gravioribus ut subicerentur oneribus necesse erat. Vtrumque ex analogia juris romani petiitum esse videbatur. Notum est principia juris romani in Jure Feudali inveniri *II. F. 24. II. F. 33. II. F. 58.* Ipse Feudorum compiler *II. F. 1.* nos ad jus romanum remittit: Primi in Italia juris feudalis Doctores romanarum legum doctrinam juris prudentiæ feudali summo cum studio intulerunt, & rationibus atque argumentis ex foro romano petitis usi sunt, quam bene, jam non disquirimus. Id manifestum est ex hac juris peregrini admixtione, propria

consuetudinum feudalium principia aliquando neglecta, imo oblitterata fuisse. Nulli certe dubitamus, quin hæc obligationum allodialium extensio ex jure romano descendat. Id jam observatum fuit HEIGIO P. 2. q. 50. p. 175. Jus feudale commune præter casum meliorationis II. F. 28. & alimentorum inhabili præstandorum a Vasalli Successore nihil exigit. Plura largiebantur mores Regni Siciliae & Neapolis, ex quorum usu debita quædam feudis cohæserunt. Hanc doctrinam Jureconfulti, inter Glossatores non ultimi subfellii ANDREAS DE ISERNIA & MATTHÆVS DE AFFLICTIS ex Jure communi defendere sunt conati: accedebat applausus aliorum Doctorum, qui eorum doctrinæ assueti, ad recipiendam illam in foro opinionem multum contulerunt. HORN. *Jurispr. feud. Cap. XXI. §. 4.*

§. VI.

Non una autem horum debitorum, quorum exactio ex feudo competit, est conditio. Quædam enim simpliciter ex feudo debentur, ad quam classẽ regulariter referunt debita ob rem in feudum versa, vel quia ipsius feudi causa contracta, alia tantum *in subsidium* ob favorem causæ deficiente allodio: STRVV. *Cap. XIV.* posteriori casu, ei, qui debitum feudale esse dicit, incumbit probatio, reo autem non deneganda est, exceptio *excussionis allodii ante feudum*, de qua singularis Dissertatio prostat Dn. HENR. HILDEBRANDI, Professoris in Academia Norica celeberrimi. Quænam ad alterutram classẽ debitorum referantur, anceps est Doctorum juris feudalis disceptatio, qui certæ legis auctoritate destituti fluctuant sæpius, atque vel ex ingenio vel etiam quandoque ex affectu hoc, vel illud debitum modo ad

ad hanc modo illam classem redigunt. Accuratissime omnia more suo excussit immortale Academiae Viadrinae decus HENRICVS DE COCCEJI in *Hypomnematibus juris feudalis Tit. XII.* quo intricatam hanc doctrinam paucis positionibus traditam invenimus, quam in vastioribus voluminibus frustra quærimus. Otium nobis hæc faciunt, quibus tam accurate & nervose dictis nihil addere novimus. Videbis tamen generalibus regulis locum non semper esse, legibus atque consuetudinibus in diversas sententias abeuntibus. Saxones peculiari gaudent constitutione v. D. AVGVSTI *Constit. P. II. c. 46.* Idem definitum est in ORD. MAGD. POL. *Cap. VIII. §. 28.* quod factum quoque in ORD. POL. ANHALT. *tit. XVII.* de Feudis Brunsvicensibus & Lüneburgicis videri potest WISMANNVS *diff. de feudis Brunsvic. cap. 2. sect. 2. p. 56.* extat quoque Divorum RVDOLPHI AVGVSTI & ANTONII VLRICI constitutio de a. 1703. qua sancitur, filiabus alimentata & dotem aliquando etiam legitimam, si pater feudum emerit, ex feudo deberi. In POMERANIA Vasalli debita ex feudo in subsidium solvuntur, nisi debita illa sint mere onera feudi CONCL. POMER. *1. Tit. 25. §. 1. REC. PROVINC. de a. 1560. Sedini editum.* STRYCK. *de Feudis Pomer. Cap. 2. §. 15.* Imo ea debitorum in subsidium solutio ex feudo fieri debet, quousque scilicet valor est, & aestimatio feudi se extendit, prout ex variis præjudiciis, in primis decreto sive attestato Dicafterii Stargardensis sequenti constat: Nachdem bey hiesigem Rdnigl. Preuß. Hinterpommerschen und Caminschen Hoff-Gericht Friedrich Wilhelm von Steinwehr supplicando eingekommen und umb ein attestatum darüber, wieweit ein Lehnsfolger, der von denen Creditoribus die Lehn hintwieder besreyen und an sich

bringen will, gehalten, gebührende Ansuchung gethan, und denn ein solch peritum nicht unbillig noch wiederrechtlich befunden worden: So wird hiermit attestiret und befundenschafftet, daß, so lang ein feudum nicht in solutum hingegeben worden, sondern nur hypotheciret worden, alhier recipiret sey, daß ein Successor feudisticus nicht weiter Zahlung zu thun verbunden, als das æstimatum pretium mit sich bringet oder gewehret. Urfundlich unter des Hoff-Berichts In-siegel und verordneten Subscription ausgegeben. Stargard den 27. Febr. 1704. quod Præsidi a Consultissimo & de re literaria æque ac jurisprudentia optime merenti Dn. JOH. SAM. HERINGIO, Consiliario Regio & Professore juris in illustri Athenæo Sedimensi, benevole communicatum fuit. De debitis ex feudis MEGAPOLITANIS tam in concursu, quam extra eum solvendis abunde disseruit PETRUS TORNOVIUS tract. de feudis Meclenburgicis P. 1. cap. 3. p. 391. Quomodo in MARCHIA debita ex bonis feudalibus in subsidium solvenda docet SCHEPLITZ consuetudinum Electoratus & Marchie Brandenburgensis P. IV. tit. 2. pag. 355. Conf. REC. PROV. MARCH. de a. 1643. & REC. PROV. de anno 1653. quo statuitur, agnatos debita ante 26. Jul. 1653. §. 32. contracta in subsidium agnoscere teneri: MULL. Pract. March. Ref. 61. n. 11. Hæc recentioribus temporibus aliquam expertæ sunt mutationem, de qua confertur potest Assesuration vor die Ritterschafft der Chur-March Brandenburg d. 30. Jun. 1717. §. 4. & Constitution, wie es wegen der Succession, item Consens derer Agnaten bey denen Vereinerungen, Versorgung der Wittwen ic. in denen für allodial und Erberblährten Ritter-Gütern in der Alten March, Prignitz, Mittel- und Ucker-March, auch Bees- und Stor-

Storckauschen Creyse, zu halten de a. 1718. d. 23. Nov. & declarationem hujus constitutionis de a. 1723. §. 3. addatur Constitutio für die Ritterschafft der Neumarkt, Sternberg und incorporirter Creyse de anno 1724. In LUSATIA ex feudo dos & legitima debetur v. Dn. A LUDEWIG. *differt. de Differentiis juris communis & Lusatici in legitima atque dote.* SCRIPT. LUSATIC. Tom. III. p. 38. pecunia ex feudo redacta loco feudi habetur v. **Lausnitz. Lehns-Ord.** §. mit den Unmündigen; alienatio invitis agnatis fieri potest Ibid. p. 81. 82. 83. conf. STRYCK. *diff. de Feudis Lusat. superior. cap. II. §. 5.* & inprimis MAXIMILIANI. II. privilegium de anno 1575. d. 9. Aug. cui clausula inserta: Daß ein jeder für den andern ungehindert mit seinem Gutte frey zu thun und zu lassen vollkommen Macht und Gewalt haben solle und möge; quæ cum ambigua esse videretur per conventionem statuum provincialium de a. 1619. & 1654. declarata fuit, cui declarationi Serenissimus Elector JOHANNES GEORGIUS II. a. 1666. d. 1. Febr. solennem addidit confirmationem, dotalitium ex feudo etiam a Domino feudi præstandum **Landes-Ord.** de a. 1551. in CODICE AUGUSTEO Part. III. pag. 87. Singularia quoque in provinciis AVSTRIACIS deprehendimus: ita enim a necessitate impetrandi concessus a domino directo liberantur, & ex feudo creditoribus allodialibus, excusso tamen prius allodio, satisfacere possunt Vasalli conf. **Lehns-Gnaden,** welche Kayser FERDINANDVS III. a. 1640. d. 12. Maj. & LEOPOLDVS d. 4. Nov. 1658. Denen zweyen Obern-Politischen Ständen von Herrn und Ritterschafft des Erb-Herzogthums Oesterreich unter der Enß ertheilet COD. AVSTR. P. I. p. 761. conf. Dn. LVNIG. *Corpus juris feud. germ. Tom. II.*

II. p. 463. Quid in BOHEMICIS feudis obtineat, docet Landes-Ordnung des Königreichs Böhmen M. XLVI. Hæc sufficient: facile esset ad alias Germanicarum provinciarum consuetudines & particularia jura progredi. Id tamen nostrum non patitur institutum. Satis enim allata testimonia evincunt, mirum in modum jura provinciarum dissentire, eumque falli, qui regulis generalibus in hac materia nimium tribuere voluerit. Si cui hæc non satisfaciunt, adire poterit laboriosissimum utilissimumque opus, quod nuper *Vir de re publica, imprimis universa nostra Germania, meritissimus*, JOH. CHRIST. LVNIGIVS sub titulo CORPORIS JURIS FEVDALIS GERMANICI in publicum emisit, in quo utrum indefessum atque nobile Editoris studium, an in corradendis atque investigandis publicis documentis felicitatem mirari magis debeamus, nescimus.

§. VII.

Operæ pretium erit in hujus diversitatis causas paucis inquirere. *Primo* quidem arcana & singulares rationes esse possunt, cur in hac vel alia Germaniæ provincia feuda ad allodiarum conditionem modo propius accedant, modo remotius ab illis recedant. Non una territoriorum germanicorum est interna constitutio, non Vasallorum atque Subditorum ubivis idem status sive conditio v. HERT. *diff. de consultation. legibus & judiciis in specialibus Romano-Germanici imperii rebuspublicis.* Neque datum est, in omnes peculiare provinciarum sanctiones atque consuetudines penetrare, & illarum rationes assequi, imprimis quod ad jus beneficiarium attinet, cujus principia aliquando a gratia, favore, potentia, & temporis singularibus circumstantiis de-

pen-

76
penderunt. Neque nos hæc jam tangunt. Interim non difficile erit admodum verosimiles conjecturas præbere. Res eo redit: Ad duo genera revocare possumus, quæ in Germania reperiuntur feuda. Primum est, in quo severiores feudi leges obtinent. Alterum, quod magnam cum allodiis convenientiam habet. Ea cum allodiis similitudè originem exinde forte traxit, quod primitus ea bona allodiorum jure venerint, formam autem feudorum recentioribus temporibus induerint: facile enim fuit reliquias prioris conditionis insignes retinere. Alii Vassallorum pactis sibi atque privilegiis consuluerunt, perfacili certe negotio illis temporibus, quibus cum Domino territorii in conventibus provincialibus agebatur. Consentient forte ii, qui acta provincialia diversarum Germaniæ ditionum evolverunt atque perlustrarunt, in quibus tractatus Vassallorum cum Dominis directis de feudorum juribus atque privilegiis frequenter leguntur. Insigne in illis Vassallorum conspicimus studium bonis suis feudali nexui obnoxii allodiorum beneficia acquirendi: quæ opera in non paucis provinciis tam feliciter cessit, ut multæ allodiorum qualitates in feuda transfusæ fuerint, in illis inprimis provinciis, ad quas juris feudalis peregrini Longobardici nempe studium serius pervenit. Id nobis valde probabile videtur, peregrinæ juris Longobardici disciplinæ primario tribuendum esse, quod feudorum & allodiorum differentiæ in non paucis locis tam anxie retentæ ac conservatæ fuerint.

§. VIII.

Sed mittimus jura hæc singularia & revertimur ad *jus feudale commune*, cujus rigoream & ab omni communi-

C one

one allodii abstinentiam jam superius contemplati sumus, vidimus fundamentum separationis allodii a feudo, quod in feudorum immunitate ab omni extranea obligatione quaerendum est, vidimus quoque interpretes istius juris ex duplici ratione, quæ ex juris romani principiis derivantur, certa feudorum Vasallorumque onera agnoscere. Ad duo redigimus totam quaestionem capita. Nempe omnis obligatio extranea in feudum communicatur I. si id, quod debetur in feudum fuerit versum & II. si Vasallus primi debitoris heres esse velit, quo casu secundum decantatam juris romani regulam facta defuncti præstare tenetur. In his quaestionis cardo vertitur, nostra vero an & quantum hæc in ipsis rerum argumentis obtineant? quaestio erit.

§. IX.

Ex feudo solvenda esse, quæ in rem feudi versa fuerunt, optimo jure asseritur. Quid æquius, quam eum obligari ad restitutionem, ad quem utilitas transit. Nemo alterius damno locupletior fieri debet: damnum sentit, qui bona sua in promovendo rei commodo, quam alteri relinquere tenetur, consumpsit, qui æri alieno se obnoxium fecit, ut prædium brevi suo patrimonio eximendum conservaret, ab oneribus liberaret, aut melius redderet. Id enim in feudi utilitatem versum esse nobis dicitur, nec cum eo confundi debent, quæ in Vasalli comoda vertuntur e. gr. si ipsi alimenta, sumtus ad agrorum culturam præbeantur. Impensæ in feudum factæ vel ad ejus conservationem vel augmentum pertinent. Illas noluit donare; tanta enim vix præsumitur liberalitas, quæ forte vituperanda esset, heredes suos allodiales in egestate relinquere, consumptis patrimoniis viri-

viribus atque exhaustis, ut Successor in feudo, cui nihil debuit Vasallus, auctum, splendidum & opulentum prædium occupet. Inhumanum est, Creditores Vasalli, quorum pecunia fundus feudalis fuit instructus creditæ sortis periculum suscepisse suoque damno alterius commoda promota fuisse cernere. Hæc rectissime se habent: hinc retentionis jure gaudent, quorum interest, si in possessione fuerint *arg. l. 5. C. de R. V. & l. 38. de heredit. petit.* cum negotiorum gestoribus comparantur, qui ignorantium negotia utiliter gerunt, iisque *actio negotiorum gestorum* tribuitur *contraria*, quæ datur ad consequendam indemnitatem *l. 2. 28. ff. de negot. gest.* imo impensas, si possint, tollere permissum *l. 9. de impens. in res dotales factis.* In subsidium alii hic vocant *actionem de in rem verso*, qua Vasallus id, quod in feudi utilitatem versum fuit, restituere tenetur. Verum an hæc actio in praxi magnum usum habeat valde dubitamus. Vti enim non inficiamur exigere æquitatem, ut in feudum versa vertenti reddantur: ita persuasi sumus parum ad hanc restitutionem facere actionem de in rem verso a Prætoribus romanis introductam. Res manifesta erit, si quis veram hujus actionis indolem velit considerare. Competebat hæc actio, si cum eo, qui in aliena potestate erat, nihil in peculio haberet, vel haberet, non in solidum tamen, *l. 1. pr. de in rem verso*: contractum fuisset, contra eum, cujus potestati erat subjectus. Quæso quanta cum violentia hæc doctrina ad contractus in utilitatem Vasalli vergentes applicatur? Sed objici forte posset, extendi quoque illam actionem ad contractus cum libero homine *arg. l. 20. ff. de in rem verso & l. 7. §. 1. C. quod cum eo, qui in aliena pot. indeque oriri actionem utilem* STRYCK. in *Usu mod. b. tit. §. 3.*

pag. 132. Sed ita sententiæ suæ aliquam conciliant speciem, qua carere possumus, si missis juris romani principiis, quibus hæc doctrina de restitutione eorum, quæ in alterius rem versa, multis otiosis involvitur quæstionibus, simpliciori doctrinæ ex æquitatis regulis superius deductæ, inhæreamus.

§. X.

Si quod nobis videtur, ingenue dicere debeamus, ea, quæ in jure feudali occurrit *actio de in rem verso* minime ex principiis juris romani descendit, sed ab illa actione aliena est. Hinc qui accuratius hanc doctrinam consideraverit nostræ sententiæ fundamentum facile perspiciet. Hanc actionem *personalem* esse plerumque docent: eam vero in feudo *realem* esse gravissima argumenta persvadent, nam extraneos quoque feudorum possessores tenet: Porro jus romanum versionem revera factam fuisse requirit, in jure feudali vero aliquando præsumptioni factæ versionis locus est: ita ex præsumta in feudi utilitatem versione dotalitii onus introductum HARTM. PISTOR. P. I. qu. 4. n. 16. LYNCKER. Dec. 382. Cæterum hoc loco confundi quandoque solet utilitas feudi cum utilitate Vasalli: quamvis non negari possit inter utramque sæpius arctiorem deprehendi nexum. Si ex versione in feudum jus aliquod exigendi restitutionem oriri debeat, ut utilitas ipsum feudum non Vasalli personam tantum attingat, necesse est. Ex hoc principio dependet quoque quæstionis decisio, an pecunia, quo feudum emtum fuit, ex allodio solvendum & ex eo creditoribus emtoris satisfieri debeat? quam solide negavit Dn. COCCEJ. in Hypothem. tit. 12. §. 14. p. 162. aliud enim est, quo quis fundum ipsum sibi emit, aliud, quod in rem fundi convertit. Secus tamen

tamen visum fuit juri Saxonico BERLICH, P. II. c. 55. n. 59. quod ad feudi onera retulit pretium, quo feudum comparatum, eoquē per consequentiam residuum pretii spectat. RICHTER. Dec. 78. n. 16. conf. MVLL. Pract. rer. for. ref. 62. n. 43. seqq.

§. XI.

Nunc videndum erit, quo modo obligationes & onera in feudum devolvantur propter *conditionem heredis*, quæ in persona Successoris feudalis deprehenditur. Sed hic in sententiarum atque disputationum incidimus labyrinthum: doctrinam innumeris tricis involutam deprehendimus: quas plerumque eorum ingenio debemus, qui omnia ex romani juris traditis examinare ac derivare amant. Totius controversiæ hæc summa est: Heres una eademque persona cum defuncto putatur Nov. 48. cap. 1. & non potest, aut debet contravenire facto defuncti. *Quoties igitur feudum conditionem allodii induit, aut successor in feudo simul heres allodialis existit: toties debita ab Antecessore contracta etiam ex feudo prestare tenetur, nulla separatione feudi & allodii permessa.* Tres hic existere possunt casus: (I) si feudum, in quod succeditur, sit feudum hereditarium (II) si succedant filii (III.) vel hereditas cum feudo deferatur ad agnatos.

§. XII.

Feudum hereditarium, quod juri feudali incognitum & quoad alienandi ac succedendi jura pene cum allodio coincidit, pro re inseparabili a reliqua hereditate habetur, ita ut qui in feudum succedere velit, non possit repudiare

hereditatem, sed in utroque ultimum repræsentare defunctum atque sic etiam facta ejus præstare debeat. HORN. *jurispr. feud. cap. IV. §. XXXIV. p. 101.* jure igitur hereditario consetur, extranei fœminæque admittuntur CAR. a KIRCHBERG *in Dist. de Feudo ex pacto & provid. & heredit. c. 3. n. 80.* conf. COCCEJ. *Hypomnemata juris feud. Tit. III. §. 27.* inprimis, quod hoc loco norandum, æs alienum inde solvendum est, non solum ex fructibus feudi, sed etiam ex ipsa feudi substantia per distractionem, si opus sit HARTMANN. PISTOR. *Lib. 2. qu. 1. STRVV. in Synt. Jur. feud. Cap. XIV. §. 2.* Vterius illi progrediuntur, qui feuda hereditaria patrimonii allodialis partem nominant THVMERM. *d. 4. Fund. Par. n. 12.* & cum allodiis unam hereditatem constituere ejusque partes integrantes esse, quarum successor neutram acquirere solam possit, sed utramque vel agnoscere vel repudiare teneri volunt. EIBEN. *Elect. jur. feud. cap. 7. §. 5.* HARTMANN. PIST. *P. II. q. 2. n. 515.* a ELECTORALE: illo enim definitum, ut agnati simultanee investiri feudum hereditarium eodem modo quo feudum ex pacto & providentia retinere possint, licet hereditatem defuncti vasalli repudiarint ac debita hereditaria solvere nolint, prout inferius pluribus demonstrandum erit. Factum id forte ex ea ratione, quod illo jure etiam in feudis hereditariis ex simultaneæ investituræ legibus succedatur. CARPZOV. *P. II. C. 46. d. 3. & Const. 47. def. 9.*

§. XIII.

Ad posteriores duos casus quod attinet singularem decisionem II. Feud 45. deprehendimus, quæ forte clara ac per-

perspicua satis foret, nisi Doctores variis dubiis obscurum fecissent textum. Nam cum illo de feudo proprio atque paterno sermo sit, quod non modo connexio textus, verum etiam ipsa legis ratio evincit, male illam de hereditariis feudis fuerunt interpretati: quam opinionem solidis argumentis refutavit FINCKELTHVS. *Controvers. feud. Diss. VI. n. XXII. p. 227.* Quodsi enim verbis textus inhareamus, omnia plana sunt atque perspicua & ad duo redeunt principia. I. Si successionis cum allodialis tum feudalis ordo tangat agnatos, repudiare hereditatem & feudum retinere possunt, debita vero antecessoris ultra vires fructuum, qui antecessori ex feudo restant solvere non obligantur, quo casu remittitur ad *II. F. 28. II.* Si filius sit successor in feudo, hereditatem sine beneficio repudiare nequit, sed aut utrumque retinere, aut utrumque repudiare tenetur.

§. XIV.

Constituto ita discrimine inter successores agnatos & liberos, investigandum erit, quid ad inducendam hanc diversitatem commoverit Jureconsultos. Non vacat jam omnia Doctorum argumenta hoc loco coacervare, eum nec quæstio ab aliis ad nauseam usque tractata & explosa fuerit. Paucis hoc labore nobis defungi liceat. Persvasi enim sumus eam dispositionem analogiæ juris beneficiarii minime respondere, eamque unice ex principiis juris romani petitam esse. Hereditatem Jus aliquod universale appellarunt romani: hinc non licebat hereditatem pro parte adire *l. 1. 2. 10. 80. ff. de acquir. hered.* hereditatis vero vel quasi partem feudum a patre in filium devolutum facere fingeatur, quod cum juris feudalis principiis minime responderet, mul-
tum

tum se torserunt interpretes, ut suæ opinioni aliquem conciliarent juris prætextum. Obstabat, quod filius non a patre feudum haberet, sed beneficio primi concedentis: poterat alioquin hæc difficultas distinctione quadam subtiliter excogitata tolli. Dicendum erat, filium quidem feudum non principaliter a patre habere, sed tamen per eum & secundario a patre accepisse FINCKELTHVS *Disp. 6. Controv. 22.* Quid? recurrendum adhuc erat ad fictionem illam unitatis, quam romanæ leges inter parentem & liberos, quo effectus patriæ potestatis clarius demonstrarent, excogitaverant. Non deerant leges, quibus ea adstrui posset. Vna caro reputatur pater & filius *l. 22. §. 1. C. de agric. & cens.* natura pene eadem persona esse intelligitur *l. 11. final. in fine C. de impuberib. & alius substituit.* Re ita expedita, prono alveo profluxit conclusio, filium quoque in onera & æs alienum succedere *l. 8. de acquir. vel omitt. heredit.* eum teneri factum defuncti præstare, cum quo una eademque persona esse putetur *Nov. 48. cap. 1.* eum quasi contraxisse cum creditoribus parentis *§. 5. J. de obl. qua quasi ex contr. l. 5. §. 2. ff. de O. & A.* & quæ sunt infinita alia juris brocardica, quorum non contemnenda copia allegari potuit. Hæc forte sententiæ illius est origo atque progressus. Caterum illi nihil novi addunt, qui liberorum erga parentes hoc loco commendant pietatem & reverentiam, officia liberorum exigere ut integram atque salvam servant parentum existimationem, quod argumentum cum declamationi magis quam decisioni juris inserviat, mittimus: pari enim ratione multa de officiis parentum in liberos allegari possent: quibus non immorabimur.

§. XV.

Hæc quidem ad agnatos applicari non poterant, de quibus certum erat, ad illos feudum non ex placito & iudicio defuncti deferri, sed eos beneficia ex mera providentia & jure communis parentis primi acquirentis & benevolentia solius primi concedentis consequi. Si modo abstinere a defuncti hereditate: nam si illam quoque ambirent, incidere in obligationis ex universitatis titulo provenientis incommoda. Confundendo bona allodialia atque feuda defuncti heredum nexui se obstrictos profiterentur. Relictis iis facultas separandi allodium a feudo repudiandi illud, ut hoc saluum retinerent. Hæc Jctum Doctissimum FREDER. A SANDE commoverunt, ut omnem successionem, quæ postremo defuncti jure sanguinis fit, hereditariam esse asseruerit *v. comment. consuet. feudat. c. 2. §. 3. n. 16. §. 4. §. 5. n. 2.* qui tamen hæc magis ex sententia consuetudinum feudalium ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanix scripsisse, quam ad juris feudalis communis principia attemperasse videtur.

§. XVI.

Interim ea, quæ hoc textu continentur analogiæ juris feudalis cum communis tum Germanici minime responderent videntur, quod jam certo modo animadversum fuit a FINCKELTHVS *disp. 6. controv. 20.* Si ad feudorum originem atque indolem respiciamus, feuda regulariter in commercium Vasalli venire non possunt, dominium quod Vasallus in iis acquirit non plenum est, neque concedentis scopo convenit, ut pro ære alieno distraherentur feuda. Filius quoque suam causam in successione feudali non a patre habet, sed jure proprio succedit *l. F. 14.* Hinc non male unius ejusdem-

demque defuncti diversa patrimonia esse, quidam Doctorum feudalis jurisprudentiæ docent AMICANGELUS *quæst. feud.* nam quod diverso jure regitur, id pro pluribus habetur: imo non desunt exempla juris romani, quæ huc trahi possunt: de parentibus in *castrensi peculio* jure potestatis succedentibus videatur *l. 17. ff. de castr. pec.* possunt etiam hereditates jure singulari acquiri: ita filius fundum, qui ex fideicommissio in familia manere debebat, petit etiam exheredatus fuerit, ex quibus argumentum ad feuda deduci potest HORN. *jurispr. feud. cap. XIV. §. XI.* Patrimoniorum separatio non prorsus incognita est legibus romanis *l. 3. ff. de excusat.* etiam hereditas sine personæ representativo vinculo ac jure devolvi potest, si a principiis juris romani abstrahamus. Moribus nostris non semper convenit definitio heredis, quod sit successor in universum jus, quod defunctus habuit *l. 24. ff. de V. S. & l. 162. ff. de R. I.* nam experientia atque praxis docet, quod unius ejusdemque defuncti hereditas diversam conditionem recipiat, conf. EIBEN. *Elect. jur. feud. cap. VII. §. 2. p. 659.*

§. XVII.

Restat, ut de JURE FEUDALI GERMANICO, quoque videamus. In eo certe, si ad antiquissimos majorum mores nos convertamus, observabimus, singularem eorum curam fuisse, ut bona avita immobilia si vel maxime allodia fuerint, familiæ conservaverint, quanto magis idem de feudis erit asserendum? LEX SALICA *tit. 62.* LEX SAXONICA *tit. XIV.* Bona feudalia sine filiorum consensu alienari non potuerunt quod SCHILT. *comment. ad jus feudale Alemann. cap. 64. §. 6.* ex jure patrio, usu fori receptisque judicatis contra dissentientes docet. Mitius ex eodem principio jura nostra

nostra agunt cum filiis parentum proscriptorum: nam cum *jure feudali Longobardico* ad feudum parenti ob delicta ademitum filii nullatenus adspirare possent II. F. 31. & 42. & c. 26. §. si vassall. culp. quam severitatem sequutus est CAROLVS IV. AVR. BVLLÆ cap. 24. JVS FEVDALÆ ALEMANNICVM e contrario eos a successione in feudo non repellit cap. 89. §. 6. *Het aber der Man einen Sun dem sol er das leben liben. Die Kind sollent des Vater Schulde nit entgelten, do er selber Schulde nit en hatt. wenne wer wider Gott und wider selber Schulde nit en hatt. wenne wer wider Gott und wider das recht.* Propius ad decisionem præsentis quaestio- nis faciunt, quæ JVR. PROV. SAX. Lib. II. art. 21. JVRE FEVD. Art. 55. 56. JVR. SVEV. FEVD. cap. 98. & PROVINC. art. 20. 21. leguntur. Verba utriusque juris clara esse videntur: *der Mann ist nicht schuldig zu leystende des Herren glübe noch das Kind des Vaters der su ir gütt usse gebent.* Vide tamen CARPZOV. P. 2. Const. 47. def. 4. n. 5. conf. COLER. P. I. decis. 79.

§. XVIII.

Non mirandum inde quod in judicio CAMERÆ IMPERIALIS mitior invaluerit sententia. Filio enim paternæ hereditati renuncianti feudum ex pacto & providentia retinere liberum censent scriptores juris cameralis & ita judicatum fuisse testantur ADR. GILMANN. *Symphorem. suppl. P. 1. t. 1. v. 6. n. 25.* inprimis MYNSINGER. *Cent. Obs. 68.* qui filium ne quidem ex fructibus feudi, quod tale est ex pacto & providentia teneri adstruit. Ita extra terras Saxonicas in ipsis Scabinatibus Saxonis pronunciatum refert LYNCK. *in anal.* ad STRVV. S. J. F. cap. 9. §. II. p. 85. E contrario praxis diversarum Germaniæ provinciarum ab illa sententia recedit, quarum dispositioni in illis locis, qui eo jure

jure utuntur vivendum est. In ELECTORATU SAXONICO expresse dispositum: Daß der Sohn zugleich des Vaters Erbe seyn soll, wenn er im Leben ihm folgen will, oder müsse sich beydes zugleich verzeihen. P. II. *Const.* 47. *CONSTITVT. inedit.* IV. Torgauisch Ausschreiben de a. 1583. tit. welchergergestalt die Agnaten: neque filio beneficium inventarii, quod jure communi competebat, relictum FINCKELTH. *disp.* 6. *controv.* 22. p. 229. imo adempta jure novissimo filio facultas existente hoc casu repudiandi hereditatem in favorem agnatorum in Creditorum vero fraudem *Resol. nov. de anno.* 1661. tit. *Justitien-Sachen* §. 71. Ampliatur hæc sententia & ad illum quoque casum extenditur, quo consentiente patre in debitum feudo, in quo simultanee investitus, impositum, filius successu temporis feudo ad ipsum devoluto, illud debitum agnoscere & exsolvere tenetur, etiamsi patris hereditatem tam quoad feudalia, quam quoad allodialia renunciaverit v. *DEC. nov. LXVIII.* Referenda huc quoque quæstio, in foro sapius agitata, *utrum patris creditores chirographarii præferendi sint filii creditoribus, quibus postea feudum ab ipsis legitime fuit oppignoratum?* vid. RAVCHBAR. p. 1. qu. 38. CARPZOV. *Vol. decis. Saxon. Decis. LXXIII.* MEIERI *Dissert. de creditorum Paternorum chirographariorum & filii Creditorum hypotecariorum concursu in bonis feudalibus* Erf. 1711. Cum jure Saxonico consentit JVS MAGDEBURGICVM *Policey-Ordnung Cap. VIII. §. 26.* excepto posteriori casu, si filius feudum jure simultaneæ investituræ consequatur, quod debito obnoxium est, in quod pater æque simultanee investitus consentit. *Ibid.* §. 27. Nec multum recedit JVS MARCHICVM teste STRVVIO in *S. J. F. cap. XIV. §. 29.* Conf. MVLLER. in *practica rerum forensium resolut.* 60. Respiciunt huc verba RECESS. PROVING. de anno 1653. die 26.

26. Jul. §. 31. Ein Sohn aber oder jemand von denen descendentibus kan das feudum vom allodio nicht separiren. Idem obtinere in DVCATV LVNEBVRGENSI patet ex attestato Cancellariæ Zellensis apud STRVV. *l. cit. p. 543.* Daß ein Sohn der seines Vatern Lehngüter, sie seyn geachtet, wie sie wollen sive ex pacto & providentia, sive hereditaria anzunehmen und zu bekräftigen gemeinet, ob er schon des Erbes sich müßigen und enthalten wolte, dennoch die väterl. Schulden dem Vater zu Ehren über sich nehmen und dieselben abtragen, oder der Hülffe in des Vatern seel. hinterlassene Lehngüter gewärtig seyn muß. Conf. simile attestatum d. 21. Maj. 1636. ap. LUNIC. *Corpore juris feud. germ. Tom. II. p. 1367.* & 1371. Braunschweig-Lüneburg-Calenbergische Canzley-Ordnung Tit. 36. §. 16. quo loco beneficium competentia Vasallo si non propria debita contraxerit sed a parentibus in eum derivata fuerint reservatur. Jungatur Fürstl. Anhalt erneuerte und verbesserte Lands-Ordnung Tit. XV. §. Was aber die Söhne.

§. XIX.

Ex allatis patet, diversa in S. R. I. praxis. Addi multa & varia possent de obligationibus, quæ in feuda imperii transmitti solent. Ast cum allodiorum atque feudorum, quæ a Proceribus Imperii possidentur longe alia sit ratio ac privatorum patrimoniorum & beneficiorum, maleque illi agant, qui priorum conditionem ex posteriorum statu æstimant, nobis jam constitutum est amplissimam illam doctrinam silentio præterire. Evolvi interim possunt RHET. *dissert. de transmissione territoriorum: ITTER. de feudis imperii. cap. XVIII.* aliique. Nobis hoc loco sufficit, paucis indicasse principia quibus doctrina de separando allodio a feudo

feudo respectu obligationum a Vasallo contractarum in jurisprudentia feudali privata innititur. Pergendum nunc erit ad

CAPUT II.

DE

JURE SEPARANDI ALLODIUM A FEUDO IN SUCCESSIONIBUS.

§. I.

Ardua & vexata est quaestio, de allodialium rerum a feudilibus separatione, quoties concurrunt heredes, quorum alii in feudo succedere possunt, alii autem allodio contenti esse jubentur, qui etiam diversas appellationes sortiuntur, cum in Lehn und Land-Erben dividantur. Cum exinde separandi allodii a feudo necessitas oriatur, varie se torquent Doctores in assignandis cuius competentibus partibus. Certe res ita est comparata, ut adaequata destituatur regula, inprimis quando de illustribus hereditatibus sermo est, quibus plerumque principia juris communis applicari nequeunt. Nihil igitur consultius, quam ut ad evitandas lites omni ambiguitati per pacta obviam eant, tutissima sane via, cum ejusmodi conventiones validissimum robur ex antiquissima Germaniae observantia habeant: extat talis casus in pactis confraternitatis Saxo-Hassiacis, ubi filiabus ultimi Electoris nihil ultra 24000. florenos exsolvi, neque testamentum plus quam 30000. floreni relinquere debere conventum est *CARPZOV. Diff. de pacto confratern.*

Sax. Hass. Cap. I. n. 97. 98.

§. II.

§. II.

Interim tentabimus, an hæc doctrina ad generalia quodammodo principia redigi possit: ad singulares casus descendere nostrum haud permittit institutum, quibus modo in delineatione rudiori substituendum. Fundamenti loco ponimus: *diversam privatorum & publicorum feudorum esse rationem: falli qui utriusque conditionem commiscent.* In PRIVATIS FEVDIS, per quæ hoc loco, *mediata feuda & immediata minora* intelligimus & de quibus in præsentiarum unice nobis sermo erit solummodo obtinet plerumque doctrina *juris feudalis communis: ad feudalia ea referri, de quibus investitura facta est.* Per feudum non solum prædium feudale, verum etiam feudi *pertinentias*, uti appellant, intelligimus. Quid ad illas referatur, anceps quandoque quæstio? neque hic multum regulæ, *quod in dubio res presumatur allodialis*, tribuimus, quam hoc loco sæpius invertere mallems. Cautius agunt, qui *dinumeramentis vel reversalibus sibi prospiciunt* felici successu & nobilissimo compendio in materia separandi allodii a feudo SCHWEDER. *de dinumeram. §. 16.* Reliqua, quæ non ab investitura descendunt aut ei successu temporis inserta fuerunt, allodiis annumerare solent.

§. III.

Jactis his fundamentis, iudicium facile dari poterit de allodialibus rebus quæ a feudalibus seperandæ sunt. Eas doctrinæ causa in sex classes dispescimus. Referuntur igitur in hunc numerum I. Allodia feudis unita. II. Meliorationes feudii. III. Impensæ in res feudales factæ. IV. Fructus Feudi. V. Mobilia in feudo reperta, quæ alias *Jahr und Haab* appellari solent. VI. pecunia feudalis. Ad *primam*

nam classem quod attinet, Vasallus quandoque prædia acquirat, aut aliunde possidet, quæ nullo nexui feudali sunt obnoxia, quamvis certo modo cum prædio feudali sint unita: huc spectant (1.) Erbgütter zum Lehn gebraucht v. STRVV. *cent. decisionum quædam allodiales* §. c. n. 1. 2. (2.) Neuerbaute Häuser, erkaufte Mühlen und Vorwercke. *Ibid. n. 4.* quæ non fundo feudali in hærent (3.) Bauer-Gütter zum Ritter-Lehen gebraucht. *Ibid. n. 56.* (4.) Imo etiam res incorporales sive jura alio quam feudali titulo quæsita v. c. jurisdictio, jus patronatus, (5.) Annuus reditus vel census ex feudo debitus per Vasallum redemptus. Non obstat, quod illa bona atque jura per longum tempus ad solos heredes feudales transferint: non enim *neccessario allodia semper a feudo sunt separanda.* Facili interim via allodiali qualitati subjiuntur, partim *investitura* wenn sie zu Lehn-Gütern in denen Lehnbriefen gesetzt werden: RICHTER. *P. 3. cons. 7. partim præscriptione* cum dominium directum per præscriptionem acquiratur. RITTERSHVS. *partit. jur. feud. lib. 1. c. 18. q. 8.*

§. IV.

In altera classe occurrunt MELIORATIONES FEVDI, per illas in latiori significatione omne augmentum feudum, omnesque accessiones, in specialiori vero ea, quibus conditionem Feudi meliorem Vasallus fecit vel liberando illud ab onere vel conciliando illi majora emolumenta intelligimus. Aliquando accessio *natura* benignitati debetur, quæ in feudum pleno jure transit secundum communem regulam juris: *augmentum naturam ejus, cui accedit sequi l. 8. l. 24. §. 2. de leg. 1.* hinc Vasallo dominium utile, Domino directum in his incrementis competit *l. F. 4. §. si quis de mansi.*

mansi: neque illi investitura opus esse videtur, quamvis tu-
 tius monente RHET. in *Comm. ad alleg. §. p. 121.* & consul-
 tius eam petendo agat. Conferri hic meretur celeberrima
 Constitutio ADOLPHI Regis Romanorum de *insulis* quam
 MARQV. FRÉHERVS commentario edidit, in qua insula
 in flumine nata Comitum, qui in ipso flumine telonia & con-
 ductus recipit, tribuitur. Pari jure ad feudum omnia emo-
 lumenta, quæ ex ipso feudo oriuntur, & sine impensis aut
 modo levioribus & parvis sumptibus Vasalli producta fue-
 runt & diuturnum atque perpetuum usum habent, pertine-
 re firmiter persuasi sumus *arg. l. 7. de usur. l. pen. de impens.*
in res dot. fact. conf. MEV. ad Jus Lubec. Lib. I. tit. 5. art.
4. n. 37. Id enim sæpius evenire solet, ut rerum pretia au-
 geantur, quod a variis circumstantiis dependet & prædia,
 quæ investituræ tempore exigui pretii fuerunt, paulo post
 & valore & dignitate mirum in modum crescant. Aliæ
meliorationes Vasalli *industria* debentur: varie dividi solent
 in *mixtas & civiles*, in *separabiles & inseparabiles*, in *la-*
centes & apparentes, in *ordinarias & extraordinarias*, in *in-*
trinsecas & extrinsecas, vid. SCHWED. *diff. de meliorationi-*
bus feudi, & BECHMANN. *de augmento n. 3.* Diversa quo-
 que earum quoad separationis jus est conditio: primario
 enim videndum est, an a fundo feudali separari possint? si
 nequeant, & per se non subsistere possint, feudo accedunt
 & pro parte feudi habentur. Huc referuntur servitutes præ-
 dii acquisitæ, ædes, horrea, stabula, molendina, aggeres,
 fossæ, muri, stagna, piscinæ, quoties in fundo feudali com-
 parantur. MOD. PISTOR. *Conf. 22. n. 23.* Superficies enim
 solo cedit *l. 7. §. 10. ff. de acquir. rer. dom.* Inseparabile hoc
 loco dicitur, quod auferri nequit, vel si auferatur nulli usui
 esse potest. Eo casu electionem Vasalli heredibus nonnulli
 E con-

concedunt, utrum rem tollere vel ejus pretium repetere ve-
 lint *l. 38. ff. d. R. V. l. 40. §. 1. ff. de legat. 1. in primis II. F.*
tit. 28. De jure feudali Saxónico ædificia pleno jure absque
omni refusione expensarum apud feudi possessorem reman-
ent Land-N. lib. 2. art. 21. SCHILTER. Exercit. 45. §. 35.
 Eam sententiam approbavit AVGVS: VS *Elect. part. 3.*
const. 31. Hinc responsum ab illustri Facultate Lipsiensi teste
 TREVTLERO *Conf. 68. num. 8.* Hat A. zu B. seel. auf seinem
 Ritterfig ein neu Haus erbauet, so bleibet solches vermöge Land-
 üblicher Sächsischen Rechte mit dem Grunde auch als seinen
 hinterlassenen Lehens-Erben billig und die Land-Erben sind
 derowegen von euch einige Erstattung zu fordern nicht befugt.
 LYNCKER. *de Individuitate Cap. III. Sect. 1. §. 3. pag. 102.*
 De ædificatis, quæ separabilia sunt aliud statuit jus Saxoni-
 cum commune *Land-N. lib. 2. art. 53.* quo ædificatori au-
 ferendi libertas concessa. Alias si meliorationes sint separ-
 abiles domino feudi electio datur, ut vel omnium æstima-
 tionem solvat, vel istas a Vasalli heredibus tolli patiantur.
 ROSENTHAL. *de Feudis cap. 10. concl. 43. n. 144.* hoc optio-
 nis jus consuetudini adscribit, allegata tamen juris ratione,
 in alternativis debitoris esse electionem. Sed cum in utro-
 que casu sive jus eligendi Vasalli heredibus sive successori-
 bus in feudo concedamus iniquæ eligentis conditiones non
 semper vitari possint, certe aliquid arbitrio judicis relin-
 quendum erit. Litem hanc egregie componit & dubiorum
 nubes dispellit summus seculi nostri JCtus HENR. de COC-
 CEJI *Hypomn. tit. XII. §. 4.* distinguendo inter melioratio-
 nes necessarias & utiles, & voluptuarias. Judicium tamen,
 quænam sint necessariae, quænam utiles, quænam voluptu-
 ariæ iterum ad judicis arbitrium in moroso eligente redit.

ORD. POL. MAGD. *cap. 8. §. 28. in fine.*

§. V.

§. V.

In eo tandem omnes conveniunt, meliorationes ad heredes Vasalli pertinere, SCHRADER. P. X. Sect. 18. n. 127. sive vindicentur, sive earum pretium petatur. Hoc *tertiam classem* jurium, quæ heredibus alodialibus competunt, constituit, in qua de IMPENSIS in rem feudalem factis agendum est. Nam ut illæ restituantur æquitas jubet; multum alias naturæ beneficii decederet, quod plerumque sine onere percipi debet. Diversa autem est impensarum & inde quoque restitutionis conditio. Impensas *necessarias* in feudi conservationem factas refundere sine discrimine tenetur Vasalli successor, e. g. si ædificia collapsura refecerit, agros feudales contra aquæ impetum aggeribus fossisque muniverit KLOCK. *Consil. Vol. III. Cons. 155. n. 236.* GARSIAS *de Expensis & meliorat. cap. I. n. 25.* modo Vasallus non antea destructioni aut ruinæ occasionem præbuerit, quo casu rei deterioratio erit detrahenda l. 54. §. f. de hered. pet. BERL. p. 3. concl. 42. n. 13. Idem de *utilibus* in perpetuam feudi utilitatem impensis dicendum: nam quæ in rem, ita ut in præsens frui possit, consumpsit, non reperuntur l. 7. §. f. sol. matr. æque ac impensas fructuum causa factas non recipit l. 36. §. fin. de heredit. pet. utilitas tamen adhuc extare debet: fundamentum enim restitutionis est perceptio utilitatis, qua cessante, restitutioni haud locus erit. Nos non movent argumenta a bonæ fidei possessore ex l. 38. ff. de hered. petit. vel negotiorum gestore ex l. 10. ff. de negot. gest. desumpta: ab his multum differt Vasallus, quum dominium in feudo utile habeat: e contrario autem Vasallo aut ejus heredibus exceptio compensationis, ob fructus ex feudo perceptos regulariter objici nequit: fructus enim suos propositio jure facit, & ex illis præterquam ad servitia feu-

feudalia ad alia non tenetur: neque ut illos in feudi meliorationes convertat obstrictus est. Sed quid si fructus prorsus extraordinarii essent & cum ipsa melioratione quodammodo, conjuncti: e. g. si Vasallus nemora inculta ad culturam redigeret, novalia faceret, indeque insignem lignorum quantitatem perciperet. Non dubitamus, hoc & similibus casibus compensationis aliquam rationem habendam esse, asserere conf. PARIS de PUTEO de Redintegr. feud. cap. 12. n. 1. De voluptuariis impensis ita tenendum, si a feudo sine lesione pristini status separari possint, melioramenta, licere ea tollere l. 32. §. 5. de administr. tut. si vero nequeant separari ad feudi possessores transire, nulla facta refusione arg. l. 9. de impens. in res dot. fact. nisi etiam ex illis aliqua ad Dominum feudi pervenerit utilitas. Multa tandem circa impensarum aestimationem oriri solent difficultates, quæ plerumque arbitrio Judicis definiendæ sunt. Dura eorum est sententia, qui meliorationes aestimandas esse credunt, prout rudera modo valent, HARTM. PLSTOR. Part. 2. quest. 42. n. 14. Id enim ultra meliorationes voluptuarias vix extendendum arg. l. 38. D. de rei vindic. In alia prorsus abeunt, qui omnes impensas restituendas esse, ex II. F. tit. 28. concludere volunt: alii solum quanto plus valent & feudum revera melius factum esse constat, præstari volunt arg. l. 58. de leg. 1. Id certum nobis videtur melioramenta non aestimanda esse, prout tempore meliorationis fuerunt, sed ad præsentem statum respiciendum esse, quo feudum domino aut agnato defertur. Cæterum si meliorationes sint impensis majores e. g. si impensæ sint 100. & fundus sit melioratus in 200. non possunt repeti nisi centum, & vice versa, si meliorationes sint minores impensis, i. e. 200. thaleri sunt impensæ, melioratio, ultra 100. non

non venit restitutio ad modum meliorationum fit, quæ ex re-
ditibus æstimandæ l. 10. C. de rest. vend. Eadem decisio oc-
currit in l. 68. ff. de R. V.

§. VI.

Quarto sequuntur FRUCTVS FEUDI. Hi sunt vel per-
cepti vel percipiendi. De illorum qualitate allodiali nemo
dubitat. H. PISTOR. L. 1. qu. 21. n. 50. Hinc heredibus allo-
dialibus non eripi potest 1) das Getreydig in Scheuren auf
dem Boden mit allem Borrath STRUV. Cent. decis. n. 50. 2.)
geschlagen Kasserhols. Ibid. n. 27. imo pecunia ex ejus ven-
dicatione comparata n. 26. 3) Mist, Heu und Stroh und un-
aufgehauen Bauhols ib. n. 25. Nota porro est fructuum di-
visio in naturales, industriales & civiles. Alia adhuc divi-
sio; quod sint vel pendentes vel percepti. De fructibus
ultimi anni hoc loco quæritur. Jus civile omnes fructus
pendentes jus soli vult sequi l. 44. de rei vind. nullo ad jus
feminis habito respectu l. 25. §. 1. de usur. Singularia hinc
sunt, quæ jus feudale commune de illis II. F. tit. 28. disposuit.
Textus de naturalibus æque ac industrialibus fructibus lo-
quitur, & tres regulas nobis præbet: quarum prima: Si an-
te Martium decedat Vasallus, omnes fructus ex feudo prove-
nientes apud dominum feudi permanent. Altera: si Vasal-
lus post Calendas Martii decedat, omnes fructus, qui interim
percipiuntur, ad heredes Vasalli pertinent. Tertia: Si post
Augustum Vasallus mortuus fuerit, omnes fructus annui ad Do-
minum perveniunt. In rationem hujus legis multo cum
studio solent inquirere interpretes ANT. MONACH. de
Recht a feudorum interpret. Cap. 57. per tot. p. 309. Non lub-
er varias eorum conjecturas omni verosimilitudine quan-
doque destitutas transcribere. Dispositio illa ad Italiæ cli-
ma

ma attemperata fuisse viderur. BITSCH. *ad alleg. textum.* Quemadmodum enim in Italia regionibus principium vi-
 rentium fructuum a mense Martii statuitur BALDVS *ad II.*
F. 28. ita post Augustum ibidem plerique jam sunt percepti
 fructus. Inde non dubitarunt multi hujus decisionis usum
 in Germania negare, & arbitrati sunt fructus potius pro ra-
 tione temporis inter Vasalli successores feudales & allodia-
 les dividendos esse SCHVLTZ. *in Synops. de rer. divif. lit.*
N. N. ducto argumento ex *l. 78. §. 2. ff. de jure dot.* quod
 fructus soluto matrimonio pendentes pro rata anni divi-
 dendi veniant. Sed communior est opinio, eam comput-
 tandi rationem hodiernum attendi ROSENTHAL. *Syn. jur.*
feud. 10. 42. n. 49. Alius decidendi modus *Saxonibus* placuit,
 qui ad culturam & laborem a defuncto impensum & abso-
 lutum respexerunt Land-N. *lib. 2. art. 58.* Des Mannes
 Saat, die er mit seinem Pflug wircket, die ist verdient, als die
 Egde darüber gehet und des Garten als er geedet, gesäet und
 geharet ist. Eadem repetit JVS PROV. SVEVIC. cap.
 CCXXII. des Mannes Saat, die er mit seinem Pfluge wü-
 cket, ist verdient, als die Erndte darüber gehet. Inde non
 sine fundamento infert SCHILTER. *Exercit. ad ff. 16. §. 59.*
 jus percipiendi fructus Germanis a jure feminis & industria
 derivatum fuisse. Consentit JVS PRIVTEN. *lib. 3. tit. 3. §. 10.*
 §. II. verb. Diweil aber das Sächssische Recht ein anders ein-
 geführet, wollende, daß dasjenige, was die Egde bestrichen hat,
 zum Lobe des usufructuarii oder zu der Frauen Leibgeding ge-
 höhren solle, und solches auch der Billigkeit nicht ungemäs, als
 lassen wir es bey dem Sächssischen Rechte bewenden, und soll
 auch hinführo demselbigen nach in unsern Ober und Untere-
 Gerichten also gesprochen werden. §. II. Wann aber einer
 Frauen ein Leibgeding auf ein Gut gemacht worden und sie
 als

alsdem versterbe, wann das Feld besäet und der Egde nach nicht bestrichen; *re. Accedit, quod jure germanico in primis Saxonico fructus pendentes mobilibus rebus annumerentur* HERT. *Opusc. Vol. I. P. III. p. 543.* ex quo insignis differentia inter jus romanum & germanicum oritur vid. Dn. THOMAS. *nota ad Institut. p. 243.* Cum igitur jus Saxonicum ad culturam peractam respiciat, & in eo heredum allodialium jus fundatum esse perhibeatur, fundamentum quoque conclusionum, quas Jcti Saxonici ex his principiis derivant, facile percipi poterit, & inde constat 1) cur heredibus feudalis tribuantur fructus wann etliche Acker-Arbeit verrichtet, die Egde aber die Saat nicht bestrichen CARPZOV. *P. 3. const. 32. def. 1. § 10. STRVV. l. cit. n. 87.* quo casu ut impensa restituantur; æquitas exigit *Gl. Jur. Sax. in Lehn-Recht cap. 59.* 2) cur iisdem fructus naturales, qui nulla aut exigua cultura opus habent, cedant: vide *alleg. constit. verbis:* die Früchte aber, so naturales genennet werden, als Wiesenwachs, allerley Obst und dergleichen, bleiben dem Lehns-Herrn und Grund-Herrn und nicht denen Erben; quamvis huic sententia non respondere videatur *Jus Saxonicum commune vid. cit. art. an St. Urbans-Tag ist Wein-Garthen und Baum-Garthen* Behendt verdienet. Proinde HART. PISTOR. *P. 1. q. 24. n. 85.* extra Electoratum in ejusmodi fructibus hortorum diei Urbani rationem haberi vult: Et COLER. *part. 2. dec. 252. n. 22.* sanctionem electoralem ad fructus agrestes in pratis & nemoribus nascentes restrinxit, quem refutare conatur CARPZOV. *l. cit. def. 24.* Alii ad jus Longobardicum confugiunt ac quærunt, an Vassallus diem supremum ante primam Martii obierit STRVV. *l. cit. num. 23. 24.* vide tamen *n. 84.* Ex quo patet, sibi non satis in hac quaestione constare Doctores, quod ni fallimur, ex nimio jura

jura communia cum germanicis conciliandi ac componendi studio evenisse credimus. 3) Cur de fructibus heredes nihil percipiant, etiamsi possessore defuncto ipsimet agrum coluerint, aut seminaverint, CARPZOV. *l. cit. def. 13.* Fructibus agrorum & hortorum proximi sunt fructus vinearum. His diem Urbani sive 25. Martii statuit *jus Saxonicum commune*, ex quo hi redditus allodialibus heredibus proprii fiunt, licet pastinatio sive die Rühr non accesserit CARPZOV. *l. c. def. 8.* In aliis Germaniæ provinciis aliæ vigent consuetudines: & in quibusdam locis non cultura tantum & occatio seu pastinatio sed præterea maturitas etiam quædam fructuum requiritur Dn. COCCEJI *Disp. de jure seminis Sect. IV. §. 7.* In MARCHIA ex die, quo Vasallus moritur, fructus feudi acquiruntur: non tamen idem dies mortis Vasalli in omnibus Marchiæ locis attenditur: quippe in *media Marchia, Prignitia, Comitatu Ruppinski ac districtu Lebus dies Margarethe*, qui est 13. Julii spectatur, post quem omnes fructus licet non separati ad heredes allodiales pertinent: sin autem ante prædictum diem obierit, pertinent tunc fructus istius anni ad successores feudi, etiamsi vivo Vasallo aliqui fructus a fundo sint separati. In *Veteri Marchia* pro termino attenditur *dies Jacobi*, in provincia *Stolpensi* dies 10. Augusti sive Laurentii, MVLL. *Pract. for. ref. 74.* KOEPPEN. *dec. 30. n. 45.* SCHEPLIZ. in *Consuet. March. P. 3. t. 3. §. 7.* KOHL. in *const. March. P. 3. q. 9. n. 9.* De *novia Marchia* videri potest Constitutio de 1742. d. 14. Aug. wie es mit Verpfändung und Veräußerung &c. der Güter gehalten werden soll, *Part. 4. n. 75.* die pendentis fructus sollen denen Successoribus des Guts zufallen, jedoch daß diese auf solchen Fall die Saat und Bestellungs-Kosten und zwar von jedem Scheffel Weizen, Roggen und Gersten 1. Rthl. vor den

den Scheffel Erbsen 16. gr. und vor Haber und Wicken 12. gr. zu der gemeinen Erbschaft erstatten. In diocesi *Havelbergensi*, quamvis proxime adiaceat Prignitiæ diem Margarethæ non observari, sed secundum jus commune pronunciatum fuisse refert SCHEPLITZ. *promptuar. juris Tit. III. p. 39.* Aliud in Marchia quoad fructus vindemiales obtiner, in quibus dies potius, quo a solo separantur, observatur: hinc ad successores feudi pertinebunt, si vassallus ante vindemiarum messem moriatur, etiam si ultra diem Margarethæ aut Jacobi vixerit. v. MVLLER. *loc. cit.* In POMERANIA viduis & filiabus annus gratiæ concessus, quandoque etiam sororibus, nullo existente filio *Rec. prov. Juliniensis d. 24. Maj. a. 1569.* quo omnes fructus ex bonis defuncti per itegrum annum percipiunt v. *Conclus. Pomer. T. II. concl. i. & Constitut. FRIDERICI III. de a. 1691. tit. II. STRYK. de anno gratiæ cap. 4. n. 7. 10. § 16.* Idem in Pomerania citeriori atque Insula Regia obtinere patet ex privilegiis Nobilitatis Pomeraniæ anno 1720. d. 19. Decembr. confirmatis v. apud LVNIG. *l. cit. p. 1471.* In Ducatu BREMENSI Viduis quoque annus gratiæ constitutus est v. HENRICI *Arch. Bremensis constitutio de successione de a. 1567. tit. 4.* Ab his parum recedit, quæ in Ducatu HOLSATIÆ introducta est consuetudo, qua viduis quoque permissum fructibus prædii feudalis per annum Saxonicum frui v. *Constitut. Holsat. ap. LVNIG. Tom. II. p. 1802.* conf. erudita dissertatio DN. VOGTI *de Jure conjugum in bona vulgo, von des Hubebands, Gerichtigkeit.*

§. VII.

Hæc secundum jura communia, saxonica, aliarumque provinciarum germanicarum ita se habent. Obscuriora ac

F

incer.

incertiora sunt, quæ de aliis quam ex terra provenienti-
 bus fructibus atque utilitatibus feudi, e. g. *lana ovium, factu
 piscium, &c.* dici solent. Ad illos enim proventus & tex-
 tus juris feudalis & juris Saxonici communis vix applicari
 possunt. Illud de fructibus pendentibus, hoc de industri-
 alibus loquitur ad neutros memorati & similes fructus re-
 ferri possunt. Interim plerique Doctorum textum *II. F. 28.
 §. his consequenter*, de omnibus indistincte fructibus accipi-
 unt, atque ad eum in silentio legum provincialium nos re-
 mittunt. Multi ex Saxonis Jureconsultis generaliter ad
 jus feudale commune provocant, quoties de fructibus ser-
 mo est, in quibus satio, rastratio & ejusmodi cultura non
 requiritur. v. CARPZOV. *P. 3. c. 32. def. 9.* Dn. WERNHER.
select. observat. P. 7. pag. 54. & in illis casibus temporis
 rationem a jure feudali præscriptam habendam esse existi-
 mant. Alii argumento ex *l. 7. §. divorcio. sol. matr. dos.
 quemadm. per.* deducto, fructus pro rata anni dividi volunt:
 quo concessio lana ovium tempore mortis vasalli nondum
 detonsa, pro rata temporis inter vasalli heredes feudales ac
 allodiales distribuenda foret. STRVV. *Observ. feud. ad.
 cap. 15. n. 10. & in Cent. Observ. n. 82.* Alii hæc emolu-
 menta vivente Vasallo non percepta apud feudi possessorem
 relinquenda esse censent, quemadmodum heredibus usufru-
 ctuarii non alii fructus cedunt, quam quos vivus usufructu-
 arius percepit *§. 37. de Rev. div. §. l. 13. ff. quib. mod. usufr.
 vel usus amitt.* quæ sententia, quamvis praxi non plene re-
 spondeat juris analogiæ convenientiorem esse credimus:
 nam qui primam amplectuntur sententiam, textum *2. F. 28.*
 de hoc fructuum genere loqui, pro certo habent: secundæ
 opinionis defensores jura Vasalli cum juribus mariti in
 fundo dotali licet non sine magna dissimilitudine, compa-
 rant.

rant. De piscibus aque multis disputatur BERL. P. 3. concl. 45. n. 20. de piscibus a Vasallo propaginis causa piscinæ immixtis pleno jure ipsi competentibus, neque de illorum usu quotidiano, qui finito usufructu finitur, quarimus, sed de piscina atque stagno jure feudi concessis & de jurè ex illis percipiendæ utilitatis, quæstio est: diversissima certe. Iterum hic leges silent: quomodo autem hic DD. c. 28. II. F. in suam sententiam detorqueant, videri poterit apud RICHTER. dec. 56. in Saxonia jus certum ex longa respondendi consuetudine invaluit, & distinguitur, utrum tempus mortis Vasalli propinquius sit piscationi, quæ lapsa demum triennio fieri solet, an vero immixtionem piscium zum Gase: priori casu, piscationis fructus cedunt heredibus allodialibus. STRVV. cent. n. 8. CARPZ. P. 3. const. 32. Luculenter hanc quæstionem nuper discussit in Marchia Serenissimus Legislator in constitutione für die Ritterschafft der Neumarkt &c. de a. 1727. die ausgesetzte Carpen, so in denen Teichen sitzen sollen denen Alodial-Erben verbleiben, dergestalt, daß wenn der Possessor des Gutes in dem Jahr, da die Carpen fischbar, verstürbet, solche die Allodial-Erben suchen oder sich dieserhalb mit dem Successore des Gutes des Werths halber vergleichen: geschiefet aber der Todesfall in dem ersten oder andern Jahr, da sie noch nicht fischbar, so können die Alodial-Erben nicht mehr als den Werth derer in denen Teichen sitzenden Carpen nach ihrer Größe und beschaffenheit präten- diren &c. &c.

§. VIII.

In hanc fructuum naturalium & industrialium classem referunt communiter etiam Doctores emolumenta, quæ ex variis juribus feudo inhærentibus, e. g. jure venandi, bra-

braxandi & similibus capiuntur. Si iterum hoc casu decisio ex *II. F. 28.* tuto petenda esset, parum difficultatis superesset. Placuit ea sententia Jureconsultis Saxonice CARPZ. *l. c. def. 6.* STRUV. *cent. n. 100.* quorum argumenta examinavit SCHWED. *diff. de fruct. feudi §. 21.* Proprie ea jura pro fructibus fundi haberi nequeunt: potius ex speciali concessione descendunt: hodierno inprimis jure: quamvis majorum ætate alia illorum jurium conditio fuisse videatur, quod pluribus jam deducere non vacat. Evolvi hic merentur duo scripta non vulgaris doctrinæ, quorum primum anno 1723. sub titulo: *Gründliche Deduction gegen die vermeintliche Regalität derer Jagden, alterum autem sub titulo: des Abels und der Ritter Güter im Herzogthum Sachsen-Lauenburg von uralter Zeit und etlichen Seculis her, wofshergebrachtes und bis iho conservirtes Brau-Recht a. 1705. prodit.* Largiamur igitur exercitium horum jurium ad fructus feudi referre posse: singularem tamen illorum conditionem deprehendemus: certe a fundo feudali non ita separari possunt ac antea recensiti fructus naturales & industriales: nullas regulariter in illorum perceptionem facere tenetur Vasallus impensas; hinc nulla ratione læditur, neque aliqua maturitas expectanda est, unde forte jus qualitatum Vasallo enasci posset; quotidianus eorum est usus STRUV. *cent. n. 99.* COCC. *de Jure feminis sect. 5. §. 8. & sect. 6. §. 15.* qui in his fructibus divisionem pro rata anni ex *l. 7. §. disortio, sol. matr.* obtinere, censet, qua decisione, si ad juris romani principia recurramus, nulla inveniri potest solidior: Alii simpliciter hæc emolumenta feudi successoribus relinquunt, non destituti verosimilibus argumentis v. SCHWED. *l. cit. §. 21.* Sed hæc majori cum certitudine de rebus, quos singulari beneficio Domini directi Vasallus titulo

titulo regaliū percipit e. g. ex collectis, vectigalibus, juris-
 dictione, confiscatione, asseruntur v. SCHWEDER l. cit. t. 29.
 STRUV. dec. 39. & 94. Hi fructus civilibus non male annu-
 merantur, de quibus adhuc paucis videndum est. Hic ite-
 rum a jure feudali communi destituimur, inde novis dissen-
 sionibus inter D. D. fenestra patuit; paulo certiori jure ut-
 untur Saxones. Ad civiles fructus referuntur (1.) pensio-
 nes feudi locati, si Vasallus nondum finita locatione mori-
 arior: ipsorum fructuum loco censentur; proinde id quod
 in ipsis fructibus juris est, de pensione locatorum prædio-
 rum quoque tam jure feudali communi, quam Saxonico
 obtinet CARPZOV. P. 3. C. 16. 6. 7. (2) decimæ, census, anui
 redditus, omnesque præstationes, quas subditi ex frumento,
 vino, animalibus aliisque bonis solvere solent. Duo in hac
 quæstione casus separandi sunt: 1. si dies illarum præstati-
 onum cesserit: quid hoc loco cedere dicatur, multo cum
 judicio explicuit COCCEJ. cit. diff. §. 11. 12. qui ut quoque
 venerit dies desiderat præeunte GOMEZ. Var. resol. Tom. 2.
 c. 11. n. 21. vers. Secundo limita ad generalem juris regulam
 respiciente: ut si aliquid ad heredes non transtuturum, in
 diem hic uno tempore & cedere & venire debeat, ne jus tem-
 porarium & cum persona expirans perpetuum & transmissibile
 efficiatur: nam ita verum debitum adest & fructus illi jure
 quæsitū sunt: imo exigendi jus competit. Consentit jus
 Saxonicum electorale P. 3. c. 32. verbis: Wann die Zehende
 zur Zeit des verstorbenen Lehn-Mannes betagt gewesen. Dies
 ille a lege, consuetudine & pacto determinatur. Quænam
 sit juris Saxonici observantia, paucis docet SCHNEIDEW.
 epit. feud. p. 5. n. 30. daß auf Bartholomæi allerley Pflüge und
 Fing verdient sey: auf Walpurgis die Lämmer-Zehenden, auf
 Krautweibe der Gänse-Zehende, und St. Johannis Tag der
 Fleisch-

Fleisch-Zehende, auf Margaretha der Korn-Zehende, Zins von Mühlen, Zölln ist verdienet, wenn der Zins-Tag kömmt. De MARCHIA decimæ mixtæ Fleisch-Zehend an Lämmern, Kübern, Gänsen, &c. die Margaretha, reliqui census autem an Geld-Zinsen, Korn-und Hüner-Pächten die Martini solvi debent, referente MVLL. ref. 75. p. 165. & KOHL. ad constit. March. 3. qu. 9. n. 10. Si Vasallus post memorata tempora diem obierit supremum, nullum est dubium quin illi census ad heredes allodiales transmissi fuerint. Singulare est jure Saxonico electorali, quod eadem jura Vasalli heredibus tribuat, si dies intra tricesimum post obitum Vasalli venerit, quem terminum alios male extendere, oportune monuit Dn. TRIER. Diff. de Transmiss. fructuum feudaliū §. 6. Aliter se res habet, si (2) Vasallus ante tempus solvendis censibus præfinitum decesserit, vel etiam terminus post tricesimum venerit. Tunc enim censum inter heredes & successores pro rata dividendum, nonnulli tradunt ex l. 7. §. divortio sol. matr. MULL. ad Const. Sax. const. vit. p. 376. quam sententiam approbasse videtur Const. Sax. 16. P. 3. quam tamen feudis non applicandam esse monet CARPZOV. P. 5. c. 32. def. 19. RICHT. Dec. 56. n. 13. STRUV. cent. n. 5. 6. 9. 3. qui eam constitutionem de dotalitiis & legis accipiunt.

§. IX.

Quinto a feudis regulariter separantur RES MOBILES, in illis proprie feudum constitui nequit II. F. 1. in fine & 23. in fine STRVV. Synt. jur. feud. cap. 6. §. 1. VOET. de mobiliū natura cap. 25. §. 5. neque feudo inhærent, neque beneficii titulo concessæ fuerunt. Cessat hæc separatio, si res mobiles cum feudo fuerint datæ, quo casu immobilium & pertinentiarum jure censentur; idem, si ad perpetuum feudi usum

usum destinata l. 17. §. 7. de act. emt. & l. 245. ff. de V. S.
 quæ tamen destinatio ex certis argumentis innotescere de-
 bet, cum feudalis qualitas regulariter non præsumatur
 LYNCK. Respons. 154. Vol. 2. Aliquando ea destinatio ex reali
 incorporatione, si res mobiles immobilibus affixæ & annexæ
 fuerint patet was Erd-Nied- und Nagel fest ist und genagelt,
 Band und Nagel hat. Alias regulariter, quæ sub nomine
 des Viehes und Fahrnüsses veniunt mobilibus annumerantur
 & ad heredes allodiales transmittuntur. Hinc ad res
 mobiles & allodium referuntur: Boves etiam aratorii
 BRVNN. ad l. 15. de act. emt. STRVV. Cent. n. 61. RICHT.
 Vol. 2. conf. 43. n. 12. Vaccæ, canes venatici, STRVV. Cent.
 n. 58. MVLLER. pr. for. ref. 73. n. 21. retia venatoria & pi-
 scatoria STRVV. l. cit. instrumenta rustica vel agricultura,
 Pflüge, Wagen, Leitern, STRVV. n. 66. alvearia apum STRVV.
 n. 49. 65. naves ut ut magnæ molis l. 1. §. illud. & §. si quis ff.
 de vi & vi arm. machinæ actorum bellica MVLLER. l. cit.
 n. 23. nisi ad perpetuam castri utilitatem destinata. STRVV.
 n. 16. & 60. lecti ad domesticum usum destinati Gesinde- und
 andere Bette, suppellex alle zur Haushaltung gehörige Sa-
 chen, Sägen RICHT. n. 16. STRVV. n. 77. 78. hölzerne und
 steinere Schwein- und Rüh- auch andere Erdge, Krippen und
 Rauffen, Conf. Argent. II. Vol. 2. n. 31. angeschaffte Bau-Ma-
 terialien an Alshern, Brettern &c. Ibid. n. 80. Materialien
 von einem abgetragenen oder sonst verunglücktem Hause ib.
 n. 79. quod tamen non omni dubio caret; frumenta cujus-
 que speciei ausgedroschen Getrende MVLL. n. 22. Wein und
 Hopffen STRVV. n. 61. semen STRVV. n. 81. die Winter- und
 Sommer-Saat darff bey dem Lehn nicht gelassen werden: si pos-
 sessor defunctus fundum satum subactum acceperit eundem
 in quibusdam locis æque satum ac subactum restituere de-
 bet.

si von
 t. De
 Rüb
 utem
 i solvi
 nstitt
 mpora
 i cen-
 are est
 edibus
 vene-
 e mo-
 alium
 solven-
 es post
 des &
 ex l. 7.
 p. 374
 quam
 J. P. 5.
 6. q. 3.
 nt.

BILES,
 & 23.
 mobilis
 bene-
 si res
 um &
 feudi
 usum

bet. MVLLER *l. cit. n. 35. seqq.* STRVV. *n. 47.* Porro huc spectant, quæ commodioris tantum usus vel ornatus gratia in ædibus habentur, tapetes in arcis retenti STRVV. *n. 69. 70.* so nicht Nagel fest CARPZ. *resp. 14.* Hirsch-Röspfe und Geweyhe STRVV. *n. 68.* MVLLER. *n. 21.* imagines & picturæ *arg. l. 66. §. ult. de contrab. emt.* annulus signatorius STRV. *n. 13. § 14.* immobilibus e contrario annumerantur atque in feudo sunt relinquenda, quæ affixa & annexa sunt. Huc referuntur, ahena, nisi Gerada illo loco obtineat CARPZ. *P. 3. c. 31. def. 6.* & caldaria affixa muro eingemauerte Wasch-Kessel und Brau-Pfannen, MVLLER. *l. cit. n. 33. seqq.* STRVV. *n. 45.* Weinkältern so Erb fest, MYLER. ab EHRENBACH. *de jure torcul. cap. 18. §. 23.* eiserne Defen, Glocken, Orgeln, STRVV. *n. 46. § 22.* aufgerichtete Schloß-Glocke und Uhr *ibid. n. 47.* HOFFMANN. *de Individuitate c. 3. sect. 1. §. 3.* non minus ea, quæ ad perpetuum usum feudi vel fundi realiter destinata sunt, ut seræ, claves, claustra pneumatica atque navales MVLLER. *l. cit. n. 28. seqq.* STRVV. *n. 42. 43.* HERING. *de Molend. qu. 8. n. 10.* STRYCK. *de Jure pertinent. c. 1. n. 66.* BORN. *de eo quod justum est circa molendina cap. 1. §. 5.* Kelsche, Orgeln, Creuse, Kirchens-Geschmeide, lauffende Rade, Mühl-Steine STRVV. *n. 22.* Zecher, so der Vater zum Willkommen bey den Mann-Lehn-Gut verordnet STRVV. *n. 96.* Böttige und andere Vier-Gefäße WERNH. *observ. P. 3. p. 412.* Ab his recedunt quandoque principiis jura particularia: in Pomerania pecora & instrumenta, welche zu der so genannten Hoff-Wehr gehören inter pertinentias feudi connumerantur v. *conclus. Pomeran. tit. 14. c. 3.* in Marchia equi feudales, so viel gute Pferde, als das Gut sonst zum Ritter-Dienst halten muß, nec non halsta-

bour

bombardæ, aliaque arma bellica die Rüstung defuncti feudali-
bus successoribus relinquuntur; quod pro vestigio juris
Saxonico in Marchia olim usitati non sine ratione habet
MVLLER. *l. cit. n. 39. 40.* conf. Constitutio wegen der Suc-
cession in Lehn-Gütern in der alten Mark &c. de a. 1718. §. 27.

§. X.

Rei mobilis naturam quoque habet PECVNIA a Va-
fallo relicta sive realiter in hereditate deprehendatur, si-
ve in nominibus consistat STRVV. *Cent. n. 15.* Placuit ta-
men in ea peculiarem & quidem *sextam classem* bonorum
allodialium a feudo separandorum constituere. De pecu-
nia ab omni nexu feudali libera nullum est dubium, quin
ad heredes allodiales pertineat: neque de feudo in pecu-
nia consistente, quæritur, quam ex conditione feudi ad suc-
cessores feudales transferri, certissimum est LYNCK. *diff.*
de feudo pecun. §. 36. imo non agimus de pecunia feudali,
quæ loco feudi est KOPPEN. *decif. 18. n. 12. & 13.* & in
vernacula ein Lehn-Stamm dici solet, cujus quoque singu-
laria sunt jura MYLII *diff. de Feudo in pecunia consistente*
& LYNCK. *l. cit. §. 25.* alia quæstio est de pecunia ex feu-
do *redacta*, quæ non obstante juris regula *pretium succe-*
dere in locum rei vendite & alienate pro allodiali habetur
MVLL. *pract. rel. 31.* STRVV. *Cent. n. 37. 55.* & demum
accedente consensu domini & pacto agnatorum feudalis
pecuniæ jura acquirit, quibus deficientibus jure allodii cen-
serur v. *Const. Sax. P. 3. const. 30.* & ad heredes allodiales
pervenit arg. 2. *F. 26. §. si vasallus*, nisi statuto vel con-
suetu-

fuetudine aliud introductum, ut pecunia ex feudo redacta semper ad heredes feudales pertineat. Simile quid occurrit in *Ordin. Feud. March. Lusatia superioris* §. da aber einer die Lehen-Güter annehme und dem andern oder mehrent Successorn und Mitbelehnten eine Satisfaction uund Vergnügung mit Gelde thäte, so soll derjenige er sey inn- oder außländer, verbunden seyn, das Geld aus den Lehn-Gut entweder wieder an Lehn-Gütern zu wenden, oder dasselbe ic. auß dem Erben zu Lehen zu erheben. De simili olim consuetudine in curia Saxonica testatur BERLICH. *P. 3. concl. 41. n. 6.* de Marchico jure PRVCKM. *Vol. 1. Conf. 50. n. 617.* De Pomeranicis consuetudinibus CONCLVS. POMERAN. *Tit. 2. concl. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* Eo etiam recidit quæstio de *residuo pecunie* ex feudi antiqui prævio agnatorum consensu facta alienatione, an feudale sit, an vero ad heredes venditoris allodiales pertineat? v. MVLLER. *l. cit. n. 24. seqq.* LYNCK. §. 27. posterius communiter asseritur, quamvis contraria sententia non æquitatis ratione destituatur. Pari jure æstimatur *pecunia ad emendum feudum destinata*, quam allodiam esse omnes pene affirmant, heredibusque allodialibus jus succedendi in illam, si nondum vivo pacifcente feudum pro ea comparatum sit, concedunt v. LYNCK. *l. cit. §. 25. STRVV. Cent. n. 29.*

§. XI.

Hæc sufficere possunt ad demonstrandum jus separandi allodium a feudo in casu successionis feudalis æque ac allodialis. Diversam prorsus horum bonorum esse naturam vidi-

vidimus: hinc cum aliquando de bonis feudalibus & alodialibus quidam simul testatus esset, invalida quoad feudalia dispositione, testamentum tamen quantum allodialia concernit, sustinuerunt Scabini Lipsienses. v. LYNCK *de Individuitate cap. III. sect. V. §. 1. p. 296.* Plura adduci possent si dissertationis academicæ termini id paterentur. Amplissimus disserendi campus se offert, si consideremus, quam frequenter, quæstiones de separando allodio in successioneibus illustribus Procerum Germaniæ motæ sint: Agitatae sunt non sine fervore aliquoties in Palatina, Brunsvicensi, Megapolitana, Anhaltina domo aliisque summis Germaniæ familiis de allodiali successione controversiæ: uberima hic dicendi adest materia: quæ tamen si pro dignitate examinari deberet, paucis vix absolvi posset. Aliis plerumque principiis in illa doctrina versandum est; falluntur, qui in communis & privati jurisprudentiæ conclusionibus acquiescunt. Nobis consultius videtur, de tam illustri & fertili materia nihil potius, quam pauca dicere. Pergendum igitur ad



CAPUT III.

DE

JURE SEPARANDI ALLODIVM A FEV-
DO IN DELICTIS.

§. I.

Ad separationem allodii a feudo occasione delicti tunc demum deveniri & quæstio institui potest, quando Vafallus ob patratum facinus beneficio exiit. Eripit illa privatio proprie, quæ feudi titulo possidentur: hinc patrimonium & allodialia bona Vafalli sunt intacta relinquenda; de quo illustre exemplum in historia HENRICI LEONIS infelicis occurrit v. ALBERICI *Chronicon ad ann. 1193. ARNOLD. Lubec. chron. Slav. lib 2. c. 24.* qui fata Principis in curia Wurtzburgensi referens, addit, *hoc tamen circa ipsum dispensatum est, ut patrimonium suum ubicunque terrarum fuisset sine omni contradictione liberrime possideret.* Recidit autem non solum feudum ad dominum directum, verum etiam omnes fructus post feloniam percepti Domino debentur arg. *l. 38. §. 1. ff. de usur. STRVV. S. J. F. c. 15. §. 11. n. 4. SCHWED. de Fruct. feudi §. 35.* aut si feudum ad agnatos devolvatur, agnatis & successoribus feudalibus *conf. cit. diff. §. 16.*


§. II.

Sunt vero etiam casus quibus & feudorum & allodiorum jacturam simul facere potest Vafallus: nempe si Vafallus delictum commiserit, quod bonorum publicatione puniri

puniri soleat, & dominus feudi directus sit dominus feudi, quo casu & feudo cadit & hereditaria bona amittit Vasallus e. g. si criminis perduellionis reus sit *Nov. 134. c. ult. II. F.* 56. ex eo tamen allodii atque feudi nulla oritur confusio, quorum semper separata manet ratio. Ipsa poena publicationis bonorum rarius in hodiernis foris occurrit, quod iterum ex juris romani usu recentiori derivandum esse atque occasione *Nov. 134. cap. ult.* evenisse videtur: plura enim in antiquioribus legibus & moribus Germanorum confiscationum leguntur vestigia, in quæ multo cum studio inquisivit GOLDAST. in dem Bedencken von *Confiscation der Zauberer Güter conf. Dn. KRESSII nota ad Art. CCXVIII. Crimin.* Aliud dicendum, quando Vasallus alium feudi dominum directum, alium autem superiorem respectu bonorum allodialium agnoscit. Hoc enim casu utriusque jura non sunt commiscenda, quod cum aliquando in Germania factum esset multorum cum injuria, tandem primum in Capitulatione FERDINANDI III. *art. 28.* cautum est, ne jura fisci Statuum imperii violarentur: repetierunt hanc sanctionem subsecutæ capitulationes FERDINANDI IV. LEOPOLDI *art. 27.* JOSEPHI *art. 26.* omnium autem plenissime statuit CAROLINA *art. 21.* verbis: die Allodial-Güter auch, welche ex crimine læsæ majestatis oder sonst verbüßet seyn, oder werden müchten, denen mit den juribus fisci befehnten, oder dieselbe sonst durch beständiges herbringen habenden Churfürsten, Fürsten und Ständen, unter welchen Obrigkeitlichen Bothmäßigkeit sie gelegen, nicht entziehen, sondern die Landes-Obrigkeiten oder Dominos territorii mit dieser Confiscirung gewehren lassen.

§. III.

Sed hic abrumpimus, quamvis plura dicenda restent: addi possent multa de *actionibus*, quæ ex hoc separationis jure profluunt, quarum aliæ ex analogia juris romani derivantur, aliæ moribus debentur. LYNCK. *Vol. I. Respons.* n. 48. n. 21. neque deessent, quæ de *jure retentionis* allodialibus heredibus atque creditoribus competente, disputari possent: non minus de *contrariis juris separandi*, nempe de consolidatione, confortatione sive incorporatione allodiorum cum feudis varia in medium proferri possent; quæ omnia a nostro scopo non forent aliena. Sed jam terminos exercitationis academicæ extendere non permittitur: imo quæ de actionibus ex hoc jure oriundis dici possent, pleraque in antecedentibus suo loco attigimus, ulterius non repetenda: quæ vero de modis hoc jus separationis extinguendi monenda superessent, ita sunt comparata, ut potius separatam tractationem requirant. Hæc igitur sufficiant.





CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

GENERALIA de jure separationis:

Definitio, §. 1.

Quid confusio? §. 2.

Divisio separationis, §. 3.

Fundamentum, §. 4.

Transitus ad presentem materiam, §. 5.

Definitio juris separandi allodium a feudo, §. 6.

CAP. I. Quando separetur allodium a feudo? generaliter, §. 1.

Obligationes ex feudo non solvuntur: de tacitis
& generalibus hypothecis in feudo, §. 2.

Quomodo obligationi ex fructibus feudi satisfiat? §. 3.

Quando obligetur feudum? §. 4.

De debitis mere feudalibus, §. 5.

Diversarum provinciarum constitutiones, §. 6.

Origo hujus diversitatis, §. 7. 8.

De actione in rem verso, §. 9. 10.

De obligatione ex qualitate heredis, §. 11. 12.

Explicatur II. F. 45. §. 13. 14.

Differentia inter filios & agnatos, §. 15. 16.

Quid jure germanico statuendum? §. 17. 18.

CAP.



CAP. II. Quando separatio in hereditatibus fiat? §. 1.

Diversum esse jus privatarum & publicarum
 successionum, §. 2.

Quanam res allodiales a feudo separanda?

(1) De allodiorum cum feudis conjunctione, §. 3.

(2) De meliorationibus feudi, §. 4.

(3) De restituendis impensis, §. 5.

(4) De fructibus feudi & primo de naturalibus
 & industrialibus, §. 6.

De lana ovium, de fœtu piscium, §. 7.

De aliis feudi utilitatibus, inprimis fructibus ci-
 vilibus, §. 8.

(5) De rebus mobilibus, §. 9.

(6) De pecunia Vasalli, §. 10.


Cur nihil de successione illustribus dicatur? §. 11.

CAP. III. Quando ob delictum allodium separetur a
 feudo? §. 1.

Quando Vasallus allodium & feudum amittere
 possit? §. 2.

Actiones, Contraria, Finis, §. 3.





Frankfurt a.O., Dir., 1725-27

ULB Halle
003 774 899



3

TA-706
f
1+8
klj





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

JURE SEPARANDI ALLODIUM A FEUDO

QUAM

DECRETO ET AUTORITATE INCLYTI
JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRACADEMIA FRANCOFURTANA

PRÆSIDE

**N. CHRIST. GODOFREDO
HOFFMANNO**

REGIÆ BOR. MAJ. CONSILIARIO INTIMO
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO
ET H. T. DECANO

DIE XXV. JULII MDCCXXVII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PRO DIGNITATE DOCTORALI
ET SUMMIS IN UTROQUE JURE PRIVILEGIIS
OBTINENDIS

VENTILANDAM PROPONET

JANNES GODOFREDUS LANGE
LIPS.

VITEMBERGÆ RECUSA MDCCXL.

1727, 44

~~12~~
12

19

